15.

Q. D. B. V.

*Ad illustrissimum atque Excellentissimum*

LIB. BAR.

CAROLUM A FRISEN, &c.

De

# VITRICIS ECCLESIAE,

Dissertatio

ad

duo diplomata Ascania

antehac

nunqvam edita,

a

CONRADO SAMUELE SCHURZFLEISCHIO

instituta.

CUM PRIVILEGIO SEREN. EL. SAXON.

---

Disputatio XXXVI.

*LIPSIAE*, Apud NICOLAUM SCIPIONEM.
cIↄ Iↄc XCIIX.



I.

EX qvo Eccleſia in dioeceſes deſcripta diſtributaqve eſt, veteres eius rationes plurimum commutatae ſunt, et ſumpto a republica exemplo, nova dignitatum nomina appellationesqve coeperunt. Eqvidem Conſtantinus M. novam hanc imperii viam rationemqve iniit, ut cum ſuas cuiqve praefecto provincias regendas attribueret, tum Epiſcopis certos fines terminosqve conſtitueret. Cuius inſtituti qvalis eventus fuerit, et qvid inde in Eccleſiam remqve publicam redundaverit, alibi eſt videndum, atqve id eiusmodi fuit, ut multo cum iudicio iam olim expenderit Ioannes Foxus, Anglus eximiae indolis atqve doctrinae ſingularis. *

* *In libello ad inclyt. Angl. proceres A. M. D. LVII.*

II. In praeſens mihi duntaxat curae erit expedire ſignificationem *vitrici Eccleſiae*, qvod nomen tabulas Principum Aſcaniorum manuſcriptas perqvirenti nuper duabus vicibus occurrebat. Saepe enim libenterqve id legi, atqve omnibus modis ſtudui, uti recte eius naturam evolverem, et explicata qvadam explorataqve ratione interpretarer. Qvod qvantacunqve etiam opera conatus ſum, tamen neqve in priſco ullo monumento, neqve in ſeqviorum temporum commentariis reperire potui, qvo vim uſumqve eius ab ſuis qvaſi principiis repeterem, et convenienter explanarem.

III. In hac cogitatione defixo multa et varia in mentem venerunt. Namqve in exemplo qvod nactus fueram, ad oram nonnemo ſcripſerat *vittati* vocabulum, ut ſignificaret, in verbis ineſſe mendum, qvod iuſta litura tollendum eſſet. Verum

multae ſunt cauſae, cur id redarguamus, inprimis autem propterea, qvod nullius aetatis ſeculiqve tabulae inveniantur, in qvibus *vittati Eccleſiae* nominentur, et eiusmodi annotatio ſe prodat indiciis ſuis, ac vitium apertiſſime oſtendat, et tabularum, de qvibus dicimus, inſtituto adverſetur: contra notio *vitrici* perpetuo in diplomatis aliis, et unde explicationis momentum huc afferri poteſt, legatur atqve obſervetur.

IV. Itaqve propius a vero abſunt, qvi diverſam ſententiam amplexi colligunt, *villici* dictionem illic legi, cum qvod qvaedam Eccleſiae dignitas miniſteriumqve deſignetur, tum qvia ea lectio interpretatioqve propoſito ſeptemviri Rudolfi de re divina ſancientis, aptior convenientiorqve intelligatur.

V. Neqve inficiari poſſum, procuratores poſſeſſionum Eccleſiaſticarum olim *villicos* dictos, qvibus negotium datum fuit colendi praedia, reditusqve, qvi ex iis obveniſſent, curandi, atqve adeo hoc agendi, ut omnis iſta opera Eccleſiae utilis fructuoſaqve eſſet. Qvod munus qva fide diligentiaqve adminiſtraverint interdum, ex Ekkehardo iuniori, ſacerdote S. Galli cognoſcere liceat, qvi commemorat, per indulgentiam Abbatis, inanibus ſeculi deditos, neqve officii memores, neqve laboribus recte perfunctos fuiſſe. *

* *In diplomatis Carolinis etiam* rectores Eccleſiae *dicti. V. Vit. Lud. pii cap. 2.*

* *De caſibus Monaſterii S. Galli cap. 4. Cui lucem afferat diploma Conradi III. qvi Advocatorum, qvos poſtea nominatos oeconomos * conſtat, depravatos avaritia mores coarguit, et qvid cum villicis, nihilo meliorem animum praeferentibus, actum velit, praecipit, atqve prohibet, qvominus eorum munus hereditario iure veniat, ac ſucceſſione ad filios nepotesqve deferatur. Qvin etiam ſaepe uſu venit, qvod villici non modo eas poſſeſſiones qvaſi relictam hereditatem caperent, ſed etiam titulum nobilitatis liberalitate Principum conſeqverentur, qvem priſci mortales tanqvam omni patrimonio praeſtantiorem, ſola gloria virtutis regumqve geſtarum conſecuti fuerant. Qvanqvam ne ſic qvidem fraudes villicorum evitari potuerunt, ſiqvidem de ſpe hereditatis cernendae deiecti monaſteriis ſolitudinem vaſti-*

*tatem-*

*tatemqve interdum reliqverunt, et agros exhaustos ac prope nudos desormatosqve reddiderunt. Sed age verba S. Gallensis Coenobitae afferamus. Nunc* (Imperante Henrico IV. ubi magno eius aevi probro, multa vitia cum rempublicem, tum praecipue Ecclesiam *Simoniae*, atqve id genus alia invaluerunt) *villici maiores locorum, de qvibus scriptum est, qvia servi non timent, tument, scuta et arma polita gestare inceperant, tubas* alio, qvam ceteri villani* (rustici agrestesqve et pastoricia conditione homines) *clanctu inflare didicerunt* (licentiam seculi, cui nobiles indulgebant, omneqve studium in venatione, et his talibus ludicris consumebant, imitati) *et qvae ibi seqvuntur in hanc sententiam scripta. His rebus sublati, valde posteris temporibus creverunt, atqve a priscorum temporum innocentia integritateqve deflexerunt. Qvae reputanti freqventissime obversatur imago eorum villicorum, qvi neqve summa fide semper Ecclesiae commoda observarunt, et fines officii saepe multumqve transierunt, usqve eo, ut sub legibus vivere iubeantur, et a Conrado III. Svevo publico graviqve mandato in ordinem redigantur. Is vero in Comitiis VVormatiae habitis talem in modum anno recuperatae gratiae cIↃ CXL. V. Eid. Februar. edixit. Communi itaqve Principum nostrorum, et generalis curiae nostrae* (conventus imperialis) *qvae Leodii* (ubi Alberone Episcopo status corruptissimus erat, et disciplina Ecclesiastica *fere perierat, M. chronic. Belg. p. 162. Petrus Merssaeus in Episcop. Leodiens. p. 333.*) *celebrabatur, consilio, obtentu etiam eiusdem Abbatis* (monasterii Stabulensis) *VVibaldi, iudicari fecimus, qvod nullus iudex, qvi vulgo Scultetus dicitur,* nullus Villicus, *qvi vulgariter* maior** *vocatur, ministerium suum diutius habere et retinere valeat, nisi qvamdiu cum gratia Abbatis deservire qveat, sed qvotiescumqve iussus fuerit reddere, sine contradictione reddat, nec filius post obitum patris per hereditatem repetat. V. Aub. Mir. not. Eccl. Belg. p. 379. Abbas Bertoldus de origine coenobii Zvveifaltensis. Diversi ab his sunt* Maiores,*** *qvi regendae reipublicae adhibiti, atqve in summa iustitiae tribunalia asciti, maximiqve negotii momentis adhibiti fuerunt. Qvod cum ex aliis tabulis, tum ex diplomate Caroli IV. anno cIↃccc LXXIII. urbi Pontis Moncionis dato, evincere in expedito est, in qvo haec seqventia leguntur. A retro, actis temporibus usqve nunc* (ad praedictum annum cIↃ ccc LXXIII. qvo Carolus IV. Luzelburgicus adhuc imperii clavum tenebat,

A 3 in

* *tubae stridulae erant militum, Io. Gerbrand. Leidersis Chr. Belg. l. XVII. c. X.*

** *Ioannes Nussiensis Monachus in chr. Belg. p. 161. Maiores, in qvantum mea sententia per illos denotantur in Ecclesiis Cathedralibus maiorum Ordinum Clerici, non officiales in monasteriis Abbatiarum, sine qvibus alioqvin ii nec* precariam, *neqve* concambium, *id est, nil disponere poterant, ut ex diplomatis chartis qve patet.*

*** *In regno Franciae* Maiores *erant praecipui Ordines, sic appellati, ut a multitudine, qva tunc etiam comitiorum ius habuit, distinguerentur. Hincmar. l. 3. ep. c. 29. Ex* maioribus *illis Comites etiam dicti sunt* iuniores. *V. Vita Ludovici Pii c. 1.* Seniores *autem pro dominis sumptos, ex tabulis Carolovingicis intelligi potest. Conf. Vit. Ludov. Pii c. 24.*

*in civitate* (Pontimusso) *ad gubernandum huiusmodi iustitiam* Maior, seu Villicus, *septem Scabini, et qvadraginta iurati praesidebant. Eo spectant limati politiqve iudicii Andreae Alciati, Petri Brosaei de maioribus villarum institutae disqvisitiones. Apud Martinum Mylium in annalibus Gorlicensibus MSS. Villicus pro villae praefecto, qvem in his oris capitaneum vocant, sumptus legitur. Alii sunt* Maiores domus, *de qvibus vid. fragmentum ex Floriacensi monasterio depromptum, atqve a P. Pithoeo editum.*

VI. Itaqve ad rei coeptae seriem redeamus, et cuiusmodi fuerint *vitrici*, videamus, qvi rationes nihilo melius confectas habuerunt, et cupiditatibus suis potius, qvam Ecclesiae utilitatibus servierunt. Qvae causa fuit, cur scriptor epistolae *de miseria curatorum*, anno supra millesimum qvadringesimum octogesimo nono exaratae, qvi suorum temporum statum diligenter exploraverat, acerbe in eos inveheretur, et qvem ex tot tantisqve corruptelis doloris sensum perceperat, eum copiosa oratione testaretur.

*Auctor epistolae de miseria curatorum, sive plebanorum anno 1489. editae, et anno 1540. VVittebergae Saxonum curante Luthero recusae, in qva vitrici deteriores facti licentia, vitiisqve contaminati, veluti vivis coloribus depinguntur. Vnde pagellas aliqvot descriptas mecum communicavit Cl. Daumius, polyhistor egregius et mihi observandus. Ea verbis seqventibus constant.* Qvartus Diabolus, est Vitricus Ecclesiae, tantum impugnat, qvantum est, qvod non considerat, in Ecclesia tua sine licentia mendicat. Mendicandi tempus non observat, de commodo tuo semper murmurat, Qvando non totum ad suam tabulam accumulat, ad fabam te non curat, qvi oblationes recipiendi auctoritatem se habere existimat, praeterea Ecclesiae legata solus capit, Tabulam tecum non dividit, imagines cereas, sicut suas, ad trabes nectit, caseos, ova, pullos, linum vendit, cimiterii gramina metit, in exeqviis lumina tollit, sedes in Ecclesia aedificandi, et qvotcunqve reponendi licentiam tribuit, computationem receptorum expositorum sine te facit, unum duntaxat deest, missas celebrare nescit, alias totam Ecclesiam tuam regit, o dura tentatio, qvid est Plebanus, si qvaecunqve in Ecclesia ad libitum vult facere Vitricus, non sit super magistrum dicipulus, neqve super dominum ser-

ſervus, dominus Eccleſiae eſt Plebanus, ſed ſervus ipſe Vitricus. Qvidqvid ergo in ſupra nominatis Eccleſiae acciderit, Vitrici eſt colligere, ſed ſolius Plebani eſt diſpenſare, Vitricus colligat, collecta repraeſentet, tunc Plebanus, ſi ex collectis Eccleſiae partem dederit, ex gratia et miſericordia venit, qvi ſolus omnia iure dictante ſervare poterit, ſicut ſine capite membra corporis non poſſunt vivere, ita (qvia caput eius eſt) ſine Plebano * Eccleſia non eſſe poteſt, ſi igitur indigens Plebanus fuerit, et ſingula ſine diviſione ad tempus, donec reſurgat, retinere poterit, Melius eſt enim Eccleſiam q am ipſum Plebanum egere et deficere, qvemadmodum ſecurius eſt membrum qvam ipſum caput perire, qvamobrem ſit qvodcunqve, ſi aliqvid Eccleſiae tantum legatum fuerit, ſuam mediam portionem ex legato, Plebanus canonice recipit, ſi plebano tantum defunctus legavit, cum Eccleſia, ſi vult, dividit, ſi aliqvid Plebano et Eccleſiae ſimul inde terminate legatum fuerit, aeqvalis diviſio fiat, et uterqve mediam portionem recipiat, ſi vero in ſpecie illud Plebano et iſtud Eccleſiae in teſtamento idem defunctus determinat, unusqvisqve ſuum teſtamentum ſine diviſione obtineat, in ſummis feſtivitatibus, diebus patronorum, dedicationis, feſtis beatae Virginis, qvicqvid tabula capit, cum Plebano Vitricum aeqvaliter dividere convenit, deniqve Eccleſia neceſſitate coacta non fuerit, qvocunqve tempore mendicando circuit, mediam partem Plebanus iuſte capit, et qvia ex pura gratia et miſericordia venit, cum Eccleſia dictas diviſiones facit. Item, caſeos, ova, pullos, linum pro domo ſua, ſemper non immerito tollit, imagines cereas, lumina in exeqviis, qvando ceram non habet, cum Eccleſia dividat, Cimiterii gramina Vitricum metere non annuat, ſed campanatori ſi pauper eſt, tribuat, in Eccleſia aedificare aut qvicqvam reponere ſine licentia ſua non permittat, computationem omni anno, Plebano non collatori faciat Vitricus, Companatorem et Vitricos locare, tantum ad Plebanum ſpectat, haec ſi, ut dictum eſt, Vitricus non obſervat, ſed in his contra Plebanum frivole decertat, maioris excommunicationis ſententiam intrat. a qva non niſi Papa liberat. O ſtultitia et omnium curatorum dementia, miror de vobis atqve mirari non ſufficio, bis in anno omnes ad ſanctam ſynodum convenitis, et peſſime in vobis Vitricos dominari ſinitis, **

* *Dotes Plebano (praelato ſimplici) neceſſarias aevo ſuo Petrus Schottus, humanitate perpolitus vir, cui panegyricum dixit Bohuslaus Bohemus, ſummatim tradidit, in epiſtola ad Ioannem Melgerum fol. 52. Eo ſpectat caſus iuridicus apud eundem fol 139. ſeqq. Felicis plebani laudes breui diſticho complexus eſt Iacobus VVimphelingus Poeta apprime doctus eleganſqve. Inter plebanos cumprimis eminuit Ioannes Monacenſis, electus Friſingae Epiſcopus, propterea qvod vitae integritate, omnibusqve laudibus floruiſſet, apud Aeneam Sylvium, dum in deſcriptione Teutoniae, erudito ac perutili opere, Freyſingenſem Eccleſiam ſignat.*

** *Fundamentum eſt in canonibus Alemannicis a Carolo M. confirmatis, qvod praedia uſibus ſacris dicata a nemine onerari, infeſtari, aut qvovis modo vexari debeant, can. XLIIX.*

nitis, ** collatores de Ecclesiae bonis villas, agros et allodia emere favetis, et vos potius non contradicendo in miseria magna degitis, non noscitis, qvia omnia Ecclesiae accidentalia, sine divisione tanto iustius capiatis, qvanto Ecclesiam propter superabundantiam, sine spe recipiendi, inutiliter multis multa accommodare suspicitis, sic demum qvi collatoris non Plebani intuitu Vitricus existit, non qvod Plebanus, sed qvod collator iubet, facit, ex iure omnia se recipere credit, qvae Plebanus ex misericordia et gratia piae Ecclesiae dimittit. *Haec ibi de* Vitricis, *qvae digna censui, ut hic repeterentur: qvibus congruit, qvod commodum vir doctissimus me submonuit, in qvodam Gregorii Bersmanni* (etsi nomen auctoris consulto omissum est) *satyrico contra Adamum Cratonem, et Nicolaum Selneccerum scripto, atqve anno 1591. Neapoli* (Servestae Anhaltinorum) *edito, in epistolae ad extremum subiunctae, stylo obscurorum virorum* (qvorum auctor Vlricus Huttenus contra Ortvvinum Gratium est) *confictae post scripto.* Pene oblitus eram, qvod etiam ille Trufato dixit, qvod estis Fur et sacrilegus, qvod abstulistis ex Sacristia margaritas, et furastis holosericum, et ornatum sacerdotalem. Sed ego credo, qvod aliqvis neqvam hoc finxit, et qvod tantum mutuo accepistis in absentia, insciis Vitricis Ecclesiae melius tamen esset factum. *Qvam barbaram loqvendi rationem, vix dubito, qvin a veterum presbyteris laicis sumptam existimem, ut ea denotetur Ecclesiae curator provisorqve, non is, qvi docendi munus obit, et mysteria peragit, sed qvi curationibus externis, censurisqve Ecclesiasticis, erogandis item ac dispensandis reditibus eleemosynisqve, nec non structurae conservationiqve templorum, atqve adeo annonae Ecclesiasticae praefectus, circa externum duntaxat Ecclesiae regimen versatur. Qvod virum priscae antiqvitatis bene gnaviterqve peritum adduxit, ut crederet, presbyterum vitricum, sive, ut in Prettinensibus scriptis tabulis legitur,* Vitricum Ecclesiae *paria facere. Qvicqvid autem de vocabulo presbyteri laici sit, res sane est antiqvissima,* * *et emendatissimorum qvoqve scriptorum assensu repetitur a prisco apostolorum aevo, qvod tametsi in praesens non vocabo in disqvisitionem, tamen per occasionem, et duntaxat in transcursu hic annotabo, parem esse nominis* praelati *rationem, qvod cum apud Cyprianum praefectos Ecclesiae indicat, tum apud Isidorum, Drogonem Hostiensem, Aethicum, praefectos seculares declarat, variante adeo nominum usu, et significationes saepenumero commutante. Et vero nemo est, qvin sciat* Abbates etiam *fuisse seculares,* ** *qvi priscorum*

*Hi signantur *nomine* parabolani, *l. 18. C. de episc. et Cler. qvorum munus in regenda Ecclesiarum εὐταξία situm fuit, qvi Episcopis iura seculi amplexis tam graves saepe molestiqve fuerunt, ut eos tanqvam a se alienos amoverent, et res suas sibi habere iuberent.*

*** Inter hos fuisse dicitur Hugo Abbas, Caroli M. ex concubina filius, cuius meminit Theganus [illegible] episcopus c. 14.*

*rum beneficio regum suis in eos remqve publicam meritis amplissima monasteria possessionesqve Ecclesiae consecuti, multum a ceteris discrepaverint, nempe iis, qvi erant Abbates monastici, qviqve sophistici interdum dicebantur, de qvibus non est, ut hoc loco copiosius disseramus: nisi qvod ex diplomatis veris integrisqve saepe nobis observatum addimus,* Abbates *illos indulgentia Principum saepe vivos etiam vigentesqve sibi designasse successores ac substituisse, qvod, si huius instituti esset, plurium Abbatiarum chartis nullo negotio probaremus. Nunc certe convenit, ut tabulas Ascanias eruamus, et paulo illustremus.*

VII. In nomine Domini Amen. Rudlv Dei gratia Dux Saxoniae, Angariae et VVestphaliae, Comes in Bren, Sacri Imperii Archimarscalcus, universis Christi fidelibus, praesentibus et futuris, ad qvos praesens scriptum pervenerit, salutem in Domino. Necessaria est rerum gestarum descriptio, maxime ad divinum cultum pertinentium, ne posteri oblivione moti valeant infringere maturo priorum consilia stabilita. Hinc est qvod ad reverentiam Dei omnipotentis genitoris, atqve suae Beatae Mariae Virginis et omnium Sanctorum, in nostrae animae et progenitorum nostrorum omnium remedium salutare necessario, ad devotam instantiam fidelis nostri, Ioannis Aurifabri, appropriavimus, et matura deliberatione praehabita, in praesentibus appropriamus Ecclesiae Parochiali in Pryttin * in honore beatae Mariae Virginis dedicatae, unam Marcam cum dimidia census annui, sitam in Villa ** Cosvvyk, ut divinus cultus in eadem Ecclesia, et aliis infra scriptis Ecclesiis plenus et perfectus habeatur: ita qvod VITRICI Ecclesiae parochiali in Pryttin, qvi pro tempore fuerint, annis singulis infra scriptis Ecclesiis, videlicet in Zvvete, Dobrichavve, Rullichdorf, Rosenfeld, Bettin, Zvviske, Treben, Labrun, Betavv, Neyendorff, Plozko, Lubbin, Zvvistrovv, Lochavv, Borcin, Lovene, Svviniz, Iessen, Grabovv, Schoneyche, Batyn, Rode,



* *Pryttin qvarto lapide VVitteberga distat, oppidum haud procul Aibi situm, et vicino coenobio, qvod domus S. Antonii dictum est, nobilitatum, cuius* praeceptor, *ut nominari solebat, primariam Academiae VVittenbersis curationem habuit, ut tabulae Pontificum, variaeqve bullae ad eum missae ostendunt.*

** *In diplomate Balduini, Episcopi Brandenburgensis an. 1215. dato oppidum Cosvvik nominatur. Ex qvo liqvet,* villam *ibi Francorum lingva pro oppido dictam. qva notione reperitur in annal. Franc. Pith. ad an. 839 848. in diplomate Henr. III. Saliqvi in antiqvis tabulis Groninga nominatur* villa, *Vbbo Emmius recte interpretatus est Proinde cum civitatem, de agro Fris. pag. 19.*

Göringstorff, Alte Elster, Clödene, Drobene, Iemen, Axin, Disniz, Rydebruch, Hoendorff et Lychtenburg de praedictis bonis in oblatis et vino, ad consecrationem et confectionem corporis et sangvinis Domini nostri Iesu Christi sufficienter habebunt, qvotiescunqve vel qvicunqve pro necessitate divinorum per nuncios dictarum Ecclesiarum fuerint reqvisiti, perpetuis temporibus dividendam. * Vt autem huiusmodi vestra appropriatio rite facta, a nobis et successoribus nostris temere non infringatur, praesentem literam desuper conscribi fecimus, et sigilli nostri munimine roboravimus. Testes vero huiusmodi nostrae appropriationis sunt Lossius de Rehefeld ...... Gerhardus de VVederen, morans in Pryttin, Ioannes Praepositus in Bemeriz, Ebelo de Potz, Tytzlio de Degenstete, Otto de Busovv, notarius noster, et qvi plures alii fide digni. *Datum anno Domini nostri cIↄ ccc XXXIX. Die Dominica, qva cantatur Qvasimodogeniti.*

* *ad oram mei exemplaru ab aliena manu descriptum erat: dibidebunt pro dibident.*

VIII. Qvae tabulae notum atqve testatum faciunt Rudolfi studium diligentiamqve, qvam ut in omni genere, ita etiam in curandis Ecclesiae rebus adhibuit, et summa cum gravitate suscepit negotia maxima et confecit, ut praeter virtutes alias, cumprimis eius pietas illustris perspectaqve esset.

*Is est Rudolfus eius nominis primus, qvi inter Duces Saxoniae titulum S. I. Archimarescalci, primum a Friderico I. Imp. Bernhardo Alberti Vrsi Filio impertitum, usu charactereqve perpetuo* dignitatis imperii officialis *usurpavit. Qvod cum diplomata confirment, non est, cur de testimonio historicorum, in qvorum industria hic plurimum desideramus, magnopere laboremus.* Saxoniae Ducatus, *ex qvo Angria VVestphaliaqve a Philippo Coloniensi Archiepiscopo, * relicto duntaxat Ascaniis titulo, detractae sunt, ex Billingano patrimonio praetensus diu, et proscripto, in exiliumqve acto Henrico Leone, totius antehac Saxoniae domino, tandem A. cIↄ CLXXX. a Bernhardo impetratus est. Albertus Abbas Stadens. ad d. an.* antiqvit. Brunsvic. *Theod. Engelhusii p. 71. Ioannes Nussiensis Monachus magn. chr. Belg. p. 192. Petrus Merssaeus annal. Archiep. Colon. p. 63. 64. Alb. Cranzius*

** *Tabulae extant apud Aegidium Gelenium de sacra et civili magnitud. Colon. Agrippin.*

*zius Sax. lib. 6. cap. 38. 39. Bernhardum, primum Saxo-Ascanium Ducem, qui ex XII. seculo in XIII. se profert, vehementer laudavit Innocentius III. Pontifex Romanus, eius dignitatis perqvam studiosus. Tabulae in mea manu sunt, unde id liceat confirmare.* Licet universas Ecclesias ex iniuncto nobis officio in antiqvae libertatis et veteris consvetudinis teneatur statu servare; eas tamen, qvas fidelium devotio de novo fundavit, specialius confovere debemus, et qvae in eis ad ipsarum didicimus utilitatem statuta, Apostolicae confirmationis praesidio roborare. Accepimus siqvidem, Dilecto filio, Nobili viro, * Bernhardo Duce Saxoniae nostris auribus intimante, qvod cum Albertus Marchio ** qvondam pater ipsius locum prius ab infidelibus occupatum (*huc respicit Helmoldus Chron. Slavor. lib. 1. cap. 88.*) dante Domino, liberasset, et tam Ecclesiam in VVorgelez, qvam aliam in Brote fundasset ibidem, ab ipsa fundatione Ecclesiarum ipsarum a Dioecesano Episcopo impetravit, ut Ecclesiae ipsae decimas agrorum suorum sine contradictione perciperent, et Sacerdotes earum tam in ipsis, qvam earum Capellis Archidiaconorum officium complerent. *Hactenus Innocentius, cuius diploma confectum est anno eius Pontificatus qvarto, id est, si rationes conficiendae sunt, a Christo nato 1201. Sed qvamobrem Comes in Bren dicatur, illud a patre eius Alberto II. est derivandum, cuius et in imperio iuvando voluntas, et in eligendis imperatoribus permagna auctoritas, et in firmanda Saxonia summa opera utilitasqve fuit. Qvod non incertis ambiguisqve privatorum hominum testimoniis, sed publicis ac minime suspectis tabulis confirmabo. Proinde Alberti II. diploma, qvod integrum nactus sum, libenter subiungam, et ea in re caussaqve faciam, ut meus sensus cogitationesqve aliis ac neqvicqvam fallentibus verbis intelligantur.* Albertus (*huius nominis II. idemqve Rudolfi I. nostratis pater*) Dei gratia Saxoniae Angariae (*imo Angrivariae*) et VVestphaliae Dux, Comes in Brenen, Burggravius in



* *Eundem titulum pro simplicis aevi captu adscripsit Comiti VVirtembergico, ut tunc erat. V. diploma apud Crusium, l. 2. part. 3. cap 8 Annal. Svev. Qvod intempestive imitatus est superiori seculo Pius V. Thuanus hist. l. 28.*

** *Hic etiam dux Saxoniae scribitur, id est, ab anno MCXL ubi in eius possessionem beneficiariam a Conrado III missus fuit, usqve ad annum MCXLI. qvo ereptum Ducatum recepit Henricus Leo vid. diploma Conradi III. in Chr. Portens. pag. 21. et 22. collat. Abbate Stadens. an. MCXL. et MCXLI.*

Magdeburg. *Hi nondum titulo* Archimareſcalli, *nedum* Electoris * *uſus eſt, tametſi rem ipſam vera certaqve iuris poſſeſſione corporaliter tenebat*: Burggraviatus *autem cur mentio fiat, qvae tamen in filii ſucceſſorumqve ipſius Aſcaniae ſtirpis diplomatibus deſideratur, haec cauſa ratioqve affertur, qvod Burggraviatus Saxonicus ex alia cauſa acqviſitus eſt, qvam Electoratus Saxonicus, qvippe qvem Albertus II. Aſcanius conceſſu beneficioqve Rudolfi Habsburgii primo ad Saxoniae Ducatum adiunxit, poſtea a Rudolfo Aſcanio, de qvo hic agimus, abalienatum, tantiſper dum a Friderico bellicoſo, Marchione Miſniae pleno perpetuoqve iure recuperaretur, et ſub vexillo collatus confirmaretur. Cyr. Spangenb. Spec. Nob. f. 318. 319. Andr. Werner. Chron. Magdeburg. c. 26. Diploma* inveſtiturae, *a Sigismundo imp. A. cIↃ cccc XXVI. Budae datum, qvod ibidem extat. In qvo argumento alibi curam intendi, nunc ſatis habeo, addidiſſe, Electoratus qva tales iure ſanctionis Carolinae, qvae Aurea bulla dicitur, individuos eſſe, tit. 20. qvod tamen de Burggraviatu dici non poteſt, qvippe qvi aliqvoties diviſioni obnoxius fuit, et hodie non iisdem, qvibus olim, finibus continetur. Eo legatur Receſſus Islebienſis A. cIↃ IↃ LXXIX. X. Iunii editus, cum qvo conf. Fridericus Hortlederus l. 5. cap. 25. de cauſ. bell. German. qvi qvaedam haud vulgo nota aperit, momentaqve civilia, qvatenus ad hunc Burggraviatum pertinent, non divulgatis rumoribus, ſed omnino veris auctoribus, incorruptisqve monumentis confirmat.* Omnibus praeſentes literas inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam. Ordinationes perpetuis temporibus valiturae (*ab aliis legitur* coliturae) literarum non immerito teſtimoniis commen-

* *Conſtitutio de Electoribus, qvae Ottoni III. tribuitur, et praeter Martinum Polonum, primum eius fabulae auctorem, monacho Hamerslebienſi probatur, p. 144 dudum exploſa eſt: neqve ea melior exiſtimari debet, qvae dirigitur ad Ottonem IV. apud Goldaſtum, Tom 3. Conſt. Imp. ad an. 1209. Illa demum ſententia longiſſime abeſt a vero, qva eiusmodi conſtitutio aſcribitur Ludovico IV. Arnulfi filio, eamqve amplectitur Boxbornius in hiſtoria univerſali pag. 560. ſeq. Qvae praeterqvam qvod alia multa contraria inter ſe pugnantiaqve habet, ex eo qvoqve falſitatis convincitur, qvod Ludovicus ille neqvidem Romanorum imperator fuit, atqve adeo conſtitutionem de Electoribus ferre promulgareqve non potuit. Verum Burggraviatus Saxonicus, qvi extra eum Electoratum partus eſt, primo coepit cum imperatoribus Saxonicis, et poſtremo omnium in patrimonio principali eſſe coepit. Illud autem pro certo omnes habent, aevo Caroli neqve Ducum, neqve Comitum, neqve ullius alius praefecti dignitates fuiſſe hereditarias. V. Aimoinus lib. V. cap. 1. ex eoqve Alphonſus Delbene de Marchion. Goth. p. 2. 3. Ceterum de Burggraviatu Carolorum temporibus ignoto praecipue Norico, luculenter accurateqve traditum eſt a iureconſultiſſimo viro Adriano Gylmanno, ſymphorem. part. 3. Vot. 22 p. 95. Speculum iuris Sax. art. 52.* perpetuum caſtellanum *interpretatur burggravium, qvi aevo Rudolfi Habsburgii cum nomine tituloqve principis* in poſſeſſionem *beneficiariam miſſus eſt, qvod certae indubitataeqve tabulae comprobant, atqve adeo ſignificationem dant, ſpeculum illud, qvod ſeculo XIII. compoſitum eſſe conſtat, iam ante ſuſceptum a Rudolfo Habsburgio imperium, in rerum natura fuiſſe. Sed principali dignitate duo duntaxat Burggraviatus, Saxonicus et Noricus, conſtant. De Palatinatu a me dictum eſt in commentationibus in vitam Alberti animoſi nuper evulgatis, et inferius porro dicetur.*

mendantur, ne si per oblivionem ex successu temporis a memoria hominum excidant, firmitatis et virtutis debitae robur perdant. Ea propter notum esse volumus praesentibus et futuris, qvod nos de consensu haeredum nostrorum, sollicitis ac devotis precibus inclitae ac dulcissimae sororis nostrae, Dominae Elisabeth, relictae illustris comitis Conradi de Brenen felicis recordationis, inclinati (*persuasit* sororibus * *Monialibus*) apud Sanctum Mycholaum in Cosvvick dioecesis Brandenburgi (*Episcopatus Brandenburgici, cuius ius dioecesanum late per vicinam patuit, ac non tantum in parte superioris Saxoniae, sed etiam in ditione Anhaltina, cuius oppidum Cossvvikum est, viguit*) sub regula beati Augustini et institutionibus fratrum ordinis praedicatorum Domino famulantibus dedimus ius patronatus Ecclesiae, seu praepositurae oppidi nostri Slyren Dioecesis (*ingenuae Ecclesiae, sive Episcopatus*) Misnensis cum omni puro et cum omnibus attinentiis ad eandem, qvibus spectabilis et per dilectus avunculus noster Otto Comes de Brenen, sicut et progenitores sui cum tranqvillitate possederunt temporibus vitae suae, ac nos eiusdem hereditate successores post mortem antedicti avunculi nostri postmodum cum pace possedimus et qviete. ** *Verum enimvero Elisabetha, Alberti I. Ducis Ascanii filia, qvam diploma memorat, mortuo Conrado marito, se pro herede gessit, et per indulgentiam Rudolfi Habsburgii Caesaris, qvem Albertus II. Elisabethae frater imperatorem elegerat, comitatum Brenensem, veterem alioqvi VVethinensis patrimonii partem, Rudolfo fratris Alberti II. filio dedit concessitqve, qvod eo manifestius intelligetur, si prosapiae rationes recte conficiamus.*



* *In diplomatis antiqvioribus* consorores spirituales Deo famulantes *appellantur. V. Donatio Ottonis II. Ecclesiae Qvedlinburgensi anno 974. facta.*

** *Diploma hoc an. M CC XCII. datum est VVittenbergae, cuius reliqua verba huc non attinent.*

*Conradus Magnus, Marchio Misniae, stirpis VVettinensis.*

*Otto dives. Ditericus. Hermannus. Dedo pingvis. Henricus. Fridericus Comes Bremensis.*

*Ditericus. Philippus. Hosvvinus. Henricus. Conradus.* — *Otto. Sophia. Fridericus II. sive Iunior, Comes Bren.* — *Comes Bren.*

*Otto, Didericus. Hedvvigis.*

*Conradus ultimus Rochlicii et Brenae Comes: cuius uxor fuit Elisabetha, Alberti II. de qvo in diplomate est, soror, qvae Comitatum Brenensem stirpi Ascaniae intulit, a Friderico Bellicoso antiqvae gentis suae recuperatum. Unde et illustrari et ampliari potest genealogia Eliae Reusneri* Βασιλικῶν *pag. 276. Conf. Hieronymus Henninges geneal. tab. part. alt. pag. 15.*

IX. Nolim vero in his declarandis esse longior, qvi necesse habeam perseqvi inceptum, et de Ecclesiae *Vitricis*, qvi praesulum suorum patientiam tentarunt saepe, ac solute licenterqve se gesserunt, conceptis VVenceslai Septemviri verbis dicere amplius, et opportune confirmare, *Vitricos* sacri curatores patrimonii fuisse.

*Diploma VVenceslai, qvod et auctoritate superiori par, et sententia idem, et probatione aeqve firmum est, commentationi huic peraptum, et cum coepti argumenti perspicuitate inprimis est coniunctum, qvod hic iis verbis reddam, qvibus primo scriptum est, ut qvando id perqvirendi industria mihi afsvit, oculis subiectum instituti dignitatem fide harum qvoqve tabularum exaeqvet. Proinde huc afferam, ut videri uberiusqve declarari possit:*

*sit: id vero, prout exaratum reperi, seqvitur hunc ad modum.* In nomine sanctae et individuae Trinitatis feliciter Amen. VVenceslaus Dei gratia Angriae, VVestphaliae, Saxoniae et Luneburgi Dux Comes Palatinus Saxoniae, Comes Brenensis, Burggravius Magdeburgensis, ac sacri Rom. Imperii Archimareschallus, notum facimus tenore praesentium universis et Christi fidelibus, tam praesentibus qvam futuris, qvia illustris Rudolphus, piae recordationis, qvondam Saxoniae Dux, Pater meus, olim dum viveret, unam sexagenam * cum dimidia in villa deserta Cosvvick, prope oppidum nostrum Prittin sita, ad reverentiam et honorem Dei omnipotentis, suaeqve matris virginis benedictae, ob memoriae celebris inclitorum progenitorum, et suae et successorum suorum ** animarum felix remedium ad Ecclesiam parochialem eiusdem oppidi nostri Prittin appropriavit, taliqve ordinatione disposuit, expressit et ordinavit, ita videlicet, qvod VITRICI Dominicae Ecclesiae parochialis, qvi pro tempore fuerint, Ecclesiis infra scriptis, videlicet in Zvvete, Dõbrichavv *** in oblatis et vino ad consecrationem et constitutionem corporis et sangvinis Domini nostri Christi annis singulis, qvando et qvotiescunqve per nuncios Dominicarum Ecclesiarum reqvisiti fuerint, providere teneantur et debebunt, considerantes insuper, qvod VITRICI praedictae Ecclesiae vina et oblatas praedictis Ecclesiis cum una sexagena et dimidia, a ut praemittitur, sufficienter praestare neqveant, nec poterunt ministrare. Nos igitur divini flaminis moti ardore cultum divinum magis augeri qvam minui cupientes, et ut ipse cultus divinus vini nec non oblatarum donatio et procuratio absqve ulla infractione denegationis indeficiens perseveret, unam sexagenam praecisorum grossorum super duobus mansis in campis saepe dictae villae Cosvick ob honorem et laudem Dei, suaeqve matris intemeratae virginis, animo deliberato et exculta nostra scientia appropriavimus et appropriamus per-

** Hoc vocabulo pars sexagesima cuiusqve rei, sive immobilis sit, sive moveri possit, aridorum et liqvidorum, iugeri, vini, et similium pro ratione compositionis verborum orationisqve contextu denotari potest. Exempli gratia iugeri, vel alius certae mensurae, qvam forte sic dictam existimes, qvia sexagenum pedum spatio dimetiri liceat. Apud eos, qvi versantur in pulvere et doctrinae capita ad calculos revocant, per numerum sexagenarium artificiosas supputandi rationes ineunt, qvam partem* ἑξακοντάδων *inscribunt. Tanto minus hic indicatur sexta pars Congii, qvae sextarius nominatur.*

** *Priscae atqve religiosae huius donationis exemplum paene simile est in tabulis Ottonis M. cum parochio Palsdensis Ecclesiae* unum mansum [*spatium duodecim iugerum*] et qvatuor vineas ad sacrificium altaris *assignavit anno* D CCCCLII.

*** *Eo ordine, qvo supra commemorantur in diplomate Rudolphino, qvod hic respicit VVenceslaus Rudolfi senioris filius.*

a *Ita est legendum, non* dimodia *pro dimidio modio, qvi Latinis semodius dicitur, qvod neqve cum instituto, neqve cum stylo eius curiae, neqve cum forma scriptionis Ascaniae congruit,*

perpetuo per praesentes, cedentes libere pro nobis, heredibus et successoribus nostris omnibus et singulis iuribus, qvae nobis in dicta sexagena hactenus competebant seu competere poterant, qvando libet in futurum, iure tamen superioritatis, tuitionis et dominii nobis et successoribus nostris specialiter reservato harum, qvibus sigillum nostrum appensum est, testimonio literarum. Datum VVittenberg anno Domini millesimo, trecentesimo septuagesimo octavo, ipso die piissimae Virginis gloriosae. *Vbi primum mihi curae esse debet, qvid fuerit, qvod structura tituli paulo immutata, atqve adeo Angria praeposita Saxoniae sit : id enim scio esse eiusmodi, qvod merito in dubitationem vocari possit, et mihi ipsi, priusqvam vidi manuscriptas tabulas, venit in mentem subvereri, rectene, an secus ista scriptio se haberet. Ego qvantum eius rei investigare et conseqvi potui, id factum arbitror, sive ut iuris in Angriam praetensi contra Coloniensem Antistitem firmum apertumqve documentum esset, sive ut antiqvitatem Angriae, qvae iuxta cum VVestphalia ad antiqvissimum Saxoniae patrimonium pertinet, eo modo declararet qvod, tanto opportunius accidit, qvia VVenceslaus nova amplificataqve tituli ratione utebatur. In qvo genere versantem confirmare potest Franciscus Irenicus, qvi refert, qvae seqvuntur.* Dominatus, *inqvit*, de Engeren (*rectius dixisset, ducatus Angriae*) omnium Saxoniae locorum antiqvissimus: primi illius domini fuerunt Hengestus et Horstus, ut Hermannus scribit Saxonum scriptor, *German exeges. lib. 3. c. 62. Qvanqvam id auctore Hermanno qvem allegat, haud recte affirmat, Hengestum atqve Horstum Saxoniae dominos fuisse, propterea qvod duo illi fratres, qvi a Vertigerno Britonum rege acciti adiutores, anno CDXLIX. in Britanniam pervenerunt, vel ipso Beda, antiqvissimo Saxonum scriptore teste, nullo imperio civili hereditario, nedum dominatu Saxoniae, qvippe qvi nunqvam apud eam liberrimam profecto atqve Martiam gentem fundari potuit, praediti fuerunt. Sed qvamobrem* Luneburgi Dux *nominetur, exigit hoc institutum, ut edisseramus. Nam et hoc insigne est ad memoriam posteritatis, et ostendit, Ascanios spem futurae successionis, qvae usu iuridico ius expectativae dicitur, in Ducatum Luneburgicum, cuius prima sub Friderico II. imp. initia coeperunt,* * *auspiciis Caroli IV. consecutos esse. Eqvidem cognitum est ex tabulis publicis in urbe Mediomatricum confectis, ab Carolo Lutzelburgico sancitum fuisse, ut siqvando Ducatus Luneburgicus, qvi Ioanni, alteri Ottonis filio obtigerat, heredibus vacaret, eius ducatus ad familiam Saxo-*

* *Abbas Stadensis. an. 1235. Theod. Engelhus. de imperatoribus ex domo Brunsvicensi oriundis p. 74. auctor membranarum Ecclesiae Bruns. p. 169. edit. Mader. Copia tabulae Pergamenae ibidem ad an. 1252. qvo decessit Otto primus Dux Brunsvicensis et Luneburgius.*

*Asca-*

*Ascaniam devolveretur. Ita evenit, qvod VVilhelmus Ioannis filius, idemqve marium expers, ac propaginis suae ultimus, ducatum Luneburgicum Alberto Ascanio, nepoti suo ex filia, qvam Otto Dux Ascanius Rudolfi II. Principis Electoris Ascanii frater duxerat, possidendum addiceret. Itaqve pro Alberto Ottonis Ascanii filio, annitentibus pro eius causa patruis, successio qvaesita, atqve ex formula iuris impetrata est. Nam Carolus, qvi Rudolfi II. suffragio Caesar creatus fuerat, operae navatae memor, [illegible] adeo officium repensurus, Ducatum Luneburgensem in eum, et [illegible] heredibus decederet, ex transverso in VVenceslaum eius fratrem contulit. Sed qvia VVilbelmus mutata post sententia, agnatos ratione sangvinis stirpisqve masculae, qvae in principatibus marium iure vincit, propiores ad successionem vocavit. Id vero tale erat, ut dissidia inter Ascanios et Gvelfos super successione agitarentur, qvae mox in funestum bellum eruperunt, nec prius finiri potuerunt, qvam connubiorum inter VVenceslai Principis Electoris Ascanii, et Magni Ducis Gvelfici liberos contractorum necessitudine dirimerentur. Qvod anteqvam salutari consilio fieret, VVenceslaus pro iure, dominio et possessione ducatus Luneburgici obtinenda arma sumpsit, et subditos sacramento adactos, imperii civilis lege sibi obligavit, totam eam regionem occupaturus, nisi telo ictus, anno cIↄ ccc LXXXIIX. in agro Cellensi mortem oppetiisset. Eo vid. Theod. Engelhusius de Duc. Bruns. pag. 74. Henr. Bunting. chron. Brunsvic. p. 248. 250. Chron. Saxon. Io. Pomarii, pag. 365. seq. 369. Georg. Spalatin. Chron. Saxon. col. 41. 42. Balthasar Mencius, de orig. et stemmat. duc. Sax. Hieronymus Henninges, part. alt. geneal. p. 118. ex eoqve Elias Reusnerus Βασιλ p. 434. seqq. Dav. Chytraeus in Saxonia pag. 55. Chronicon Riddagshusanum ab Henrico Meibomio editum pag. 25. 26. 34. et eiusdem opusc. hist. p. 178. 426. Rudolph. Diephold. geneal. hist. pag. 82. Philippus Iacobus Spenerus, qvi studii genealogici optimam formam rationemqve expressit, et consilio hortatuqve summorum Virorum luculentos excelsissimarum Germaniae familiarum commentarios edidit, in fam. Gvelf. Qvod notius exploratiusqve futurum est, si commentationes eius propaginis, in qvantum huic proposito conveniunt, ante oculos ponam.*

*Alb. Crantz. l. 8. Sax. c. 28. Chr. Engelh. p. 74. Chron. Hirsaug. An. 1235. De ducatu triparti- [illegible] diviso vid. exemplū tabul. Pergam. ad A. 1292. Partitio inter Ottonem IV. augustum et fratrem eius Wilhelmum 1203. apud Padelbrunnum facta, vid. ap. Andreā Knichen epops. p. 104. Eo n. seculo cum fatales Germaniae dissensiones, tū inprimis principatuum divisiones coeptae fuerunt. Vbi et notandi sunt in iudicio civilis historiae Alb. Cranzius, Si. Schardius, et praecipue Ga. Bucelinus, qvorum ille indistincte Ascanios, hi Gvelfos etiam, sane perperam, nominarunt Saxon. electores, Trith. Chr. Hirs. A. 1235.

*Otto I.* * *Dux Brunſ. et Luneb. ux. Mechtildis.*

| 1. *Albertus.* | 2. *Ioannes.* | 3. *Otto.* | 4. *Conradus.* |
|---|---|---|---|
| *Auctor lin. Bruns.* | | *Auctor. lin. Luneb.* | |

*VVilhelmus, in qvo dicta linea Luneburgica eius p[illegible]nis defecit.*

1. *Elisabetha, ux. Ottonis Ducis Saxo-Ascanii.*

2. *Mechtildis Ludovic. Brunsv. nupta.*

*Albertus, Dux Ascanius, ab avo materno VVilhelmo ducatus Luneburgici herede scriptus, cuius frater VVenceslaus, dux atqve Elector Saxo-Ascanius ius succedendi in ducatu Luneburgico ritu beneficiario consensuqve Caroli IV. obtinuit, si eveniret, ut Luneburgica haec propago in vivis esse desineret. Sed post VVilhelmus Luneburgicus dux re atqve eventu mutatus, in Alberti Ascanii locum recepit Ludovicum Brunsvicensem, connubio Mechtildis generum ipsius, et praeterea agnatum, eoqve sine liberis extincto, frater eius Magnus suffectus, atqve adeo posthabitis Alberto Ascanio, huiusqve patruis, ducatum illum alioqvi ad se spectare affirmantibus, in veteri stirpe Gvelfica permansit, ac ne qvidem Ascanii in possessionem eius venerunt. Conf. Chr. Brunsvic. Henrici Buntingi p. 410. 411. Neqve pigendae operae sit, si Ascanios qvoqve iuxta generationis seriem dispositos ascribam, ut uno velut in conspectu illustria nomina, qvatenus explicando huic argumento serviunt, exhibeantur.*

*Bern-*

*Bernhardus, primus dux Saxo-Ascanius A. 1180.*

*Albertus I. Hic primus cum solis imperii officialibus * imperatorem elegit, nondum autem sub charactere scripto, aut per publicas septemviralis electionis tabulas definito iure. Proinde non acccurate nominatur vulgo elector.*

*Albertus II. qvi qvatuor electionum actibus interfuit, et edito in eius muneris confirmationem privilegio Rudolfi Habsburgii, cuius filiam Agnetem in matrimonio habuit, illustre iuris electorii documentum est consecutus. Simul et Palatinatum Saxoniae atqve comitatum Brenensem, de qvo supra traditum, est adeptus. V. diplomata Brenensia, magnam historiae lucem allatura, si edantur.*

1. *Rudolfus I. senior dictus. qvi in recta successione legitimaqve iuris eligendi possessione iam constitutus, primo se scripsit S. I. Archimareschallum, et acqvisivit Burggraviatum Magdeburgensem.*

2. *Albertus Episc. Naumburg.* 3. *Luderus.* 4. *VVenceslaus.* 5. *Otto.* 6. *Elisabetha.* 7. *Mathilda.*

1. *Albertus Episc. Naumburg.* 2. *Mechtildis.* 3. *Elisabetha.*

*Albertus Dux. ante patrem mortuus.*

2. *Rudolfus II. Elect. ἄπαις, cui litem intendit Ericus II. Lauenburgicus, Guntheri Schvvarzburgii auctoritate nixus, Chr. Argentinens p. 150. cuius acta rescidit Carolus IV. et pro Rudolfo sententiam dixit, cuiusqve epistola ad ipsum vid.*

3. *Otto.* * *Albertus, cui, qvantumvis Rudolfi El. ex fratre nepoti, Carolus IV. imp. publicis tabulis praetulit VVenceslaum, ut liqvet ex bullis Saxonica Metensi A. 1357. et Saxonica Francofurt. A. 1576.*

4. *Misico. ἄπαις* **

** ex Coniuge Iuditha.*

*** ex Coniuge Kunigunda.*

* His occasio crescendi fuit Sec. XIII. turbidum et fatale interregnum; instrumentum ipsa officialis imperii dignitas, iam ante Fridericum II. parta, non aperte aeqve ius electoratus, qvod post illius tempora primum coepit, cum officiales ministerii augustalis praerogativa insignes, ius eligendi utendo conservarent, ceteri non utendo amitterent, qvando id pro derelicto habuissent. Neqve hic officit Chr. Slav. ab Arnold. Lub. continuati auctoritas l. 6. cap. 1. neqve Cardinalis Ostiensis Friderico II. suppar, ap. Sim. Schard. l. un. de princip. el. c. 4. Nam usus vocabuli laxior non respondet philosophiae civilis instituto, et ubi de officialibus mentio fit, ibi non tam definitus iure scripto Electorum ordo, qvam occasio ratioqve eius introducendi denotatur.

*vid. apud Marq. Freberum de legitima tutela, lit. B. Genealogia Lauenburgicorum accurate prodita est a Daniele Mitthosio.*

*Eae publice extant et a Georg. Spalatino in Germanicum sunt conversae. Conf. Io. Limnaeus lib. 5. iur. publ. c. 15. Auctor. disc. exoter. de iure repraesentationis edit. Hanov. pag, 34. 35. 46. seqq.*

*** *ex Coniuge Agnete.*

*5. Ioannes.* ἄπαις. *6. VVenceslaus.* ***

*1. Rudolfus III. El. 2. Albertus III. El. 3. Ericus. 4. VVenceslaus. 5. Anna. 6. Margaretha.*

*Rudolphus. 2. VVenceslaus. 3. Sigismundus. 4. Barbara. ante patrem mortui.*

*Alberto III. sine liberis defuncto, Ericus V. Lauenburgicus de septemviratu Saxonico litem movens, iudicio imperatoris Sigismundi Senatusqve imperii causa cecidit, atqve inde ab A. MCCCCXXVI. coepit epocha ducum atqve electorum Saxo-VVetinensium, qvorum auspicio dignitas fortunaqve huius regionis restituta prorsus est ac firmata, eorumqve ius alibi a me multis et solidis argumentis est defensum. Iucundissimum hic foret investigare, qvid impediverit Ascanios, qvo minus eodem vestigio starent, si argumentum sumpsissem ad regulas prudentiae civilis exigendum: id enim sine multo studio diligentiaqve qvilibet potest conseqvi, freqventi inprimis principatuum partitione, tacitoqve erga eos Imperatorum, etiam illorum a qvibus evecti erant, metu, bellorumqve contra Gvelfos Baioariosqve in Saxonia et Marchia gestorum impendiis, familiae suae vires opesqve attrivisse, et insperatis etiam casibus,* * *ut incendio ruinaqve aedium Lochaviensium Albertus III. ad orbitatem pariter atqve extremam fortunam redactos*

* Et magnitudinem et vicissitudinẽ imperiorum principatuumqve moderatur ac dispensat Numen. Eleganter Philemon possessiones, divitias, dignitates τύχης μεταβολὰς nominavit. Altius eruit Augustinus *de Civ. Dei V. 26, Regino ad A. 887. Conradus Vecerius de vita Henrici VII. Hos casus,* inqvit, *inter fortuita reponebat antiqvitas: nos ad Deum Opt. Max. publico consensu deferimus, e cuius aeqvissimo arbitrio qvicqvid humanarum rerum vel fit, vel dicitur, sumit originem.* Qvare Polybius, qvo nemo altius arcana historiae civilis perspecta cognitaqve illo aevo habuit, dum ita causas interiores proximasqve aestumat, ut aeternam illam coelestemqve seiungere videatur, omnino est nobis deserendus. Melius atqve religiosius disseruit Chrysostomus, cum, qvod gubernator est in navi, id Numen in mundo reqve publica esse, gravi sanctaqve instituta comparatione docet, *hom. X. ad populum.* Ceterum Bernh. I. Dux notatus est ab Arnoldo l, 3. Chr, Slav. continuati c. 1. Rudolfus I. a Io. Is. Pontano hist. Dan. l. 7. p. 477. alii ab aliis.

*ctos fuisse. Vnum vero illud nunc afferam nomine laudeqve eius gentis dignum, qvod iura auctoritatemqve suam enixissime semper tuendam suscepit, qvod usu exemploqve suo probavit Rudolfus I. cum ius gestandi ensis imperialis titulo archimarescallatus, nullius loci temporisqve exceptione sibi proprium ac perpetuum, VVenceslao Brabantorum Duci, eidemqve Caroli IV. propinqvo, in urbe Mediomatricum, ubi tunc Comitia agebantur, cedere nulla ratione nollet, ut liqvet ex Emundo Dintero Chron. l. 6. c. 17. atqve ex hoc Io. Iacob. Chiffletius Comment. Lothar. c. 23. p. 98.*

X. Nunc ad explanandum VVenceslai titulum commentatio nostra revertitur, cum ut admoneamus, qvod se scribat ***Comitem Palatinum Saxoniae,*** tum ut ostendamus, cur eius tituli scriptura adhibeatur. Cuius negotii rationes qvi ineunt, omne praesidium in antiqvitate collocatum habere debent. Id sane qvam est perspicuum, neqve eget argumentis, ***Palatinatum Saxoniae*** a Gvelfis ad Landgravios Thuringiae, ab his ad Marchiones Misniae,* inde ad Ascanios delatum: postremo eius dignitatem honoremqve iterum consecutos esse Marchiones Misniae, non in qvantum censebantur eo nomine, atqve adeo postliminii iure, qvod multo qvidem ante ab ipsis allegatum, sed Rudolfi I. in Ascanios, ** qvorum suffragio Caesar designatus est, studio ab iis alienatum fuerat; sed qvatenus duces electoresqve Saxoniae recenti Sigismundi imperatoris beneficio instituti, ad successores suae stirpis vero perpetuoqve titulo transmittendum publicis *investiturae* tabulis acceperunt. Ordiar a Gvelfis, qvi priusqvam loco moti sunt, duos Palatinatus, Rhenanum et Saxonicum habuerunt: qvorum prior ad ducatum Baioariae anno M C XXV. adiungi coeptus est, qvando Otto VVittelsbachius Agnete, Henrici Palatini Comitis Rheni in matrimonium accepta, ducatum Baioariae principatumqve Rhenensem coniunxit inter se atqve copulavit, ut qvi dux Baioaricus, idem Palatinus Comes Rheni esset, atqve insignia gentilitia ratione utriusqve principatus

** V. infra diplomata separatim a nobis edita.*

*** Hoc perperam vulgares genealogiarum conditores porrigunt ad Ioannem Lauenburgicum, eiusqve posteros, qvando eos Saxoniae Palatinos nominant. V. El. Reusn. gen. p. 438.*

aeqvaliter atqve in uno ſcuto uſurparentur, iuribus tamen ſemper diſtinctis, qvatenus vel propter ducatum Baioariae, vel propter Palatinatum Rheni acqviſita primo attributaqve erant. V. Io. Aventinus annal. Boi. VII. Aub. Miraeus Notit. Belg. p. 554. 555. Qvod conſideranti venit in mentem negligentiae hiſtoricorum XIII. ſeculi, qvi non ut honos eius ſtirpis poſtulabat, diſtincte prodiderunt, uter horum principatuum fuerit primus acqvirens electoratus et vicariatus? ducatusne Baioariae, qvod vult Chriſtophorus Gevvoldus, an Palatinatus Rhenenſis, qvod tuetur Marqvardus Freherus? id vero mea opinione non tam ex hiſtoricis, qvippe qvi hoc negligentia ſua incertum reliqverunt; qvam ex diplomatis actorumqve rationibus conficiamus. * Qvoqvo modo autem id ſe habeat, de qvo in Notitia imperii copioſe diximus, certum nihilominus eſt, *Palatinatum Saxoniae,* de qvo in praeſens loqvimur, Gveltis ablatum, ad Landgravios Thuringiae perveniſſe. *Theodericus Engelbuſius* Canonicus Hildeſienſis a Madero editus, hoc aſſenſu comprobat, dum ſeqventia tradit. *Imperator* (Fridericus Aenobarbus) *Hermanno Landgravio Thuringiae, contulit Comitatum Palatinum Saxoniae in civitate Erford,* pag. 71. Monachus Lauterbergenſis in parte translati in Thuringos Saxonici Palatinatus conſentit, excepto, qvod Ludovicum Hermanni fratrem nominat. *Ludovicus,* inqvit, *Landgravius Thuringiae Comes Palatinus* (Saxoniae, et qvidem tunc rerum potiente Aenobarbo, a qvo Bernhardus Dux Saxoniae inſtitutus fuerat, Abb. Stad. An. 1180. Hermannus de Lerbeke Chron. Schavvenbur*g*. p. 20.) *effectus eſt,* Chron. Anno 1180. Arnoldus Lubecenſis ſcriptor omnium ſententia probus et verax, illisqve temporibus propior, Hermannum Thuringiae Landgravium adiectione Palatini a Ludovico diſtinxit. ** Ea familia Landgraviorum ad interitum redacta, Thuringia cum Palatinatu Henrico

** Alienus hic eſt locus Arnoldi Lub. l. 6. c. 1. partim qvia tunc Palatinatus nondum erat cum ducatu Baioariae coniunctus, partim qvia ſub illud Ottonis IV. tempus, de qvo Arnoldus tradit, nondum fuit inſtitutus ordo principum Electorum: definite et iure ſcripto ſic dictorum.*

*** lib. 2. c. 30. et 36. At qvi ſecus exiſtimant, ii tradunt, Ludovicum A. 1178. et qvia hic prole caruiſſet, A 1182 fratrem eius Hermannum Palatinatu Saxoniae impertitum eſſe V. Spangenb. A. p. 20. S. l. 10 cap. 17 ſcriptum pragmaticum in cauſa Erfurtenſi A 1648. editum p. 61.*

rico illustri Marchioni Misniae cessit, partim titulo hereditatis maternae (extinctis qvippe in universum maribus) a Friderico II. Imp. approbatae, partim iure concessionis beneficiariae ab eodem rite impetratae, partim iure belli, qvia armis Landgraviatum asseruit, partim iure pacti cum Sophia eiusqve filio Henrico puero initi, qvod cum ad Landgraviatum, tum ad omnes eius annexas regalium accessiones, dignitatesqve ceteras olim et nuper legitime acqvisitas pertinuit. Qvam causam non est ut iam defendam, et usu scripturaqve diplomatum Marchionum Misniae, qvi nomen titulumqve Palatinorum Saxoniae tabulis suis praescripserunt, corroborem, nisi qvod perspicuitati tribuam, ut personas, qvarum conspectu lucem tractatio haec accipit, prebrevi serie exponam.

* *Ludovicus III. Ludovici Saltatoris filius, a Lothario II. Imp. cuius gener fuit, A. 1125. Thuringiae Langravius creatus, A. 1130. dynastiam VVinzenburgensem eiusdem beneficio adeptus, An. 1149. mortuus.*
*ux. Hedvvig.*

*Ludovicus IV. cogn. ferreus, a Conrado III. Caes. socero in Landgraviatus possessionem inauguratus.*
*ux. Iudith.*

*Ludovicus V. Hermannus, a Friderico Aenobarbo An. 1182. Palatinatus Saxoniae auctus.*
*ἄπαις.*

*Ludovicus VI. Henricus Raspo. Iuditha Diterico Marchioni Misniae nupta.*
*ux. S. Elisabetha.* **

*Sophia ux. Henrici cogn. magnanimi Ducis Brabantiae.*

*Henricus puer, qvi Landgraviatum Hassiae a Thuringia iure pacti, Caesarea auctoritate firmati separatum accepit.* ***

*Henricus illustris, Marchio Misniae, Saxoniae Palatinus.*

Im-

* V. Geneal. Landgrav. Thur. a Io. Pistorio subiuncta historiae Monachi Erphesfordensis. Nam Burhardi, Beccheteri, Bangii, aliorumqve proletaria scripta huc non magnum pondus afferunt.

** Divorum numero adscripta, Chr. Hirsaug. A. 1236.

*** Hassiae Landgravii ex ultima stirpe Ragnerorum oriundi, qvi initia sua accepta referunt Carolovingis, Thuan. hist. l. 41. p. 868. Aub. Miraeus Not. Belg. pag. 89. Dav. Blondel. non dubitat affirmare, extinctis in universum Capetingis, eam familiam postliminio adipiscendo Franciae occidentalis regno proximam fore.

*Itaqve doctrinae et temporis distingvendi causa intervalla certa sunt constituenda, qvibus praecipua Palatinatus Saxoniae vicissitudo continetur. Etenim postqvam Henricus Leo,* * *qvi primus beneficiaria lege Palatinatum Saxoniae sortitus imperante Aenobarbo est, ducatibus Baioariae Saxoniaeqve multatus fuerat, etiam Palatinatus Saxonici iacturam fecit: qvorum alterum anno M. C LXXXII. accidisse, auctor est paulo ante adductus Engelhusius. Hinc qvando eum obtinuerit Henricus illustris, expeditum est, Friderici II. tabulis eam in rem editis probare, qvippe qvae annum M CC XLII. signant, ubi Palatinatus Saxonicus in Henricum vere solenniterqve collatus fuit. Qvamobrem ad Ascanios centum atqve octo annis post devolutus est Palatinatus, qvam Bernhardus Saxoniae ducatum susceperat,* ** *factaqve est primo eius dignitatis accessio ad Albertum II. Bernhardi ducis Saxo-Ascanii nepotem, et anno qvidem a natali Servatoris M CC LXXXIIX. qvo Henricus illustris e vita migravit. Ab eo tempore ortae qvidem saepe sunt de Palatinatu lites, qvae tamen non impediverunt Ascanios, qvo minus in eius possessione manerent. Dehinc Alberti II. filius Rudolfus I. in eo iure dignitateqve a Carolo IV. apud qvem deletis ex animo superioribus offensis, unus omnium praecipue gratia floruit, anno* ↀ *CCC LVI. publica valituraqve ad omnes posteros lege est confirmatus.* a *Exinde omnes eorum posteri successoresqve Saxo-VVethinenses hoc ius repetitus tabulis munitum usqve ad hodiernum diem continuarunt, atqve interregni tempore* vicariatum propter id competentem *administrarunt. Longius hic foret repetere* investiturae *tabulas, qvas declarare vel ea ex causa supervacuum duco, qvod vicariorum edicta illuc valent, qvippe qvorum ratio ad eas, tanqvam ad fundamentum refertur, qvorumqve exemplum videre est apud* Goldastum Pol. Reichsh. part. 7. ad ann. 1612. *Causa ergo cur in diplomate Caesareae* investiturae Saxoniae Palatinatus adiectione domus atqve oppidi Alstede *commemoretur, nunc amplius investiganda non est, nisi qvod ille sic dignitate sua eminuit, ut eius ratione maxima reipublicae nostrae dignitas concessa intelligatur, summarumqve familiarum Principes ex eius administratione laudem sibi, imperioqve commodum attulisse censeantur. Ceterum de Palatinatu videantur pri-*

*Durus Princeps et difficilis, imperatoriq; opem petenti obnitens, ut appareret, Gvelforum et Gibellinorum dissidia non posse nisi alterutrius exitio terminari, V. Herm. de Lerbeke Chr. Scharv. p.19.20.

** A.1180. Saxoniae ducatus cum dignitate Archimarescallatus Bernhardo, A.1288. Palatinatus Saxoniae, propter qvē Vicariatus convenit, Alberto II. est attributus, inter sunt a. inter annum 1180. et 1280. anni 108.

a Aurea bulla t.V.§.2. ibidem Io. Limnaeus obs.3. ubi ait: *Qvando elector Saxoniae ius vicariatus vacante imperio obtinuerit, et a qvo, malo ab aliis audire, qvam dicere.* Mihi aliter ac Limnaeo videtur, non a Carolo IV. eius initia esse ducenda, qvando non obscuris neqve incertis indiciis colligere licet, iam a Rudolfo Habsburgio Alberto II. Ascanio traditum adiudicatumqve esse.

*primi doctiſſimi viri Reinerus Reineccius, et Henricus Meibomius, qvorum commentationes deſcribere, ſit ignaviae vanam ſpeciem obducere. Mihi poſt qvaedam interiecta, qvae explicationi huius argumenti cognata conſentaneaqve videbantur, ad* vitricos *certe eſt redeundum.*

XI. Non eſt, cur plura ſententiae noſtrae argumenta deſideremus, ſi vel unum ex vicinia* teſtimonium in hanc rem adducamus, qvod eiusmodi eſt, ut in eo praeſidium ſuperioris noſtrae interpretationis collocare poſſimus. Etenim in promptu ſunt monumenta, in qvibus illud nomen, a qvo Aſcaniorum curia non abhorruit, ad vulgarem popularemqve *proviſoris Eccleſiae* ſenſum accommodatur, atqve ſimili et convenienti notione explicatur, atqve adeo non eſt, qvamobrem de illa re amplius dubitemus.

* *Ad rem cauſamqve hanc expediendam pertinet, qvod in veterem Marchiam, in qva Aſcanii Brandenburgici, Saxonum Aſcaniorum agnati, et ſedem potentiae, et dignitatem ſuam collocatam olim habuerunt, haec talis loqvendi ratio recepta, uſuqve probata eſt, cuius documentum ex Stendalienſis turris inſcriptione luculentum cepi. Qvam eo libentius affero, qvia anteqvam eius exemplum a Ioanne Stralio* in lucem prolatum in manus meas veniret, coepi mecum cogitare, vicinam Marchiam pro illorum temporum conditione ſtyli huius communem rationem habuiſſe. Id cogitanti commodum ab amico mihi offertur ſcriptum, corruptae huius Latinitatis ſane teſtis locuples futura.*

* in turri cremio Stendalienſi A. 1660. edito.

IESVS MARIA:

Anno a Nativitate Domini Milleſimo, qvingenteſimo, viceſimo qvinto renovata, et reſtaurata fuit acies turris Eccleſiae Sancti Nicolai Stendalienſ: verſus meridiem ſituatae, propter Statuam, ſuper qvam nodus firmatus, et ſupra poſitus erat, vetuſtate conſumptam, procurantibus et Diſponentibus Circumſpectis et providis viris, Caſparo Buckholten, Ioachimo Otten, et Ioachimo Schulten, Praedictae Eccleſiae S. Nicolai Vitricis, et Proviſoribus.

*Haud ſcio, an usqvam aliqvid ſcriptum ſit evidentius, qvod qvidem ad explanandum* Vitrici *nomen pertinere poſſit, atqve illud Stendalii, qvod veteris Marchiae caput eſt, nuper repertum. Etenim ſic deſcribitur at-*

*qve explicatur ibi* Vitricus, *ut rationibus Ecclesiae externis provideat, et curet sumptus, ac moderetur dispensetqve reditus inferendos atqve expendendos, qvatenus qvoqvo modo ad patrimonii Ecclesiastici commodum emolumentumqve diriguntur. Qvod clarius illustriusqve redditur exemplo turris Stendaliensis per* Vitricos *institutae, cuius cura atqve redintegratio negotium seculi continebat, et rem causamqve exteriorem, atqve adeo ab interioribus sacerdotii partibus diversam complectebatur, ut ut per se planum est atqve exploratum. Qvo pacto memini legisse me in actis monasterii Murensis, qvae a qvodam anonymo monacho adiuvandam antiqvitatis memoriam seculo XII. collecta sunt*, presbyterum secularem *a Monachis ad moderandam populi disciplinam fuisse adhibitum, qvicum congruens cognatumqve munus* Vitrici *nostrates gesserunt. Operae pretium est audire ipsummet actorum Murensium compilatorem.* Invenerunt, *inqvit*, Presbyterum nomine Vonkonem, qvi Ecclesiam tenebat cum caeteris rebus, qvae ad illam pertinebant, praeter qvod ipse Comes de decima accipiebat. Tunc Comes Radeboto cum domino Reginboldo ivit ad Episcopum Constantiensem VVarmannum, et intimavit ei voluntatem suam et uxoris suae, rogavitqve eum, ut cum eius licentia Monachi Ecclesiam et dotem * cum decima obtinere mererentur, ita sane ut illi tamen secum *secularem presbyterum* ** haberent, qvi populo praeesset, pag. 8. edit. Voegelin. *Ex qvibus sane colligas, ordinis custodiendi auctoritate praeditos, in curandam Ecclesiae disciplinam incubuisse; Villicos autem cumprimis reditus, qvi ex praediis, fundis, vineis obvenissent, curavisse, ac plane tales esse debuisse, ut probe, caute provideqve* Curtem *** *regere possent, ac reapse eorum, qvi agros colerent, conductosve haberent, magistri exactoresqve essent, apud praedictum compilatorem p. 64. Id qvod ex variis* chartis *privilegiorumqve tabulis ad rei huius memoriam insignibus eruitur, firmisqve argumentis demonstratur. Qvorum et mihi copia est, et late patet usus. Sed ea consulto nunc missa facio, rarum aliqvid, iucundumqve pariter, ex antiqvis monasterii Villanovani tabulis additurus, unde vera atqve accurata omnium* Templariorum Ordinis Magistrorum *series, nunqvam apud nos, qvod sciam, edita, cum subiecto temporis indice, uno velut aspectu cognosci statim, atqve in numerato haberi possit.*

* *Etiam scribitur numero plurium in tabulis Friderici Aenobarbi, A. MCLIV. apud Goppingam editis: unde sumpta formula dotandi cum bonis,*

*bonis, in diplomate Bertholdi A. M C XLIIX. apud monasterium Albae promulgato. In charta Gebehardi Episcopi Herbipol. A. M C LVI. dos tam in mancipiis, qvam praediis, per Fridericum ducem Hohenstauffium monasterio Halarum Svevicarum, qvarum annales Georgius VVidemannus praeclare cognitos habuit, tradita dicitur. In Chronico Mindensi ab H. Meibomio evulgato, VVso nobilis vir, ex Palaestina redux, novem Ecclesias ab uxore fundatas, de paternis bonis competenter dotavit, pag. 103. conf. Chr. Lerbeke, p. 64. Atqve huc pertinent diplomata et chartae veterum traditionum, qvibus dos Ecclesiae constituta est: qvod argumentum limatissimo iudicio tractavit nuper iurisconsultissimus vir* D. Caspar Zieglerus.

** *Aevo Carolingico, Graecae lingvae rudi, interdum scribi solitum est,* prespiter, *et in compendio literarum,* pbr, *item* presbr: *eo vid. diplomat fundationis Monasterii VVisenstaigensis, A. DCCC LXI. Presbyterorum* (nominatim Clericorum) *mores notat Adamus Bremensis H. E. lib. 4. cap. 23. Monachorum vitam perstringit Monachus Altissiodorensis a NicolaoCamuzaeo editus, usqve adeo, ut Pontifex ex S. Qvirici Ecclesia amoverit, col. 108. Qvi iuxta cum Ordinus sui so ius qvalem vitae rationem inire debuerint, ex Symperti Augustae antistitis, Carolo M. suppares vita rebusqve actis aestimare potuissent. Qvanqvam et ipsis ipsorumqve bonis, qvae sub* mundiburdio (*patrocinio tutelaqve*) *Advocatorum tuta esse oportuit, saepe vis illata est, apud Matthaeum VVestmonast. A. M. LXX. qvod sane aevum turbidum corruptissimumqve fuit.*

*** *Cors, ut scribit Adamus Bremensis, sive Curtis, id est, pleni iuris possessio, qvo plures mansos habuit, eo opulentior censebatur, H. E. lib. 4. c. 4. ex qvo capite tradit exaggeratqve Archiepiscopatus Bremensis instaurati incrementa. De vocabuli origine disputat Goldast. rer. Alemann. tom. prim. part. pr. pag. 116.*

XII. Verum enimvero, ut *Vitricis* observandi curandiqve Ecclesiam patrimonii negotium datum est, ita alibi instituti sunt, qvi armis rem sacram tuerentur, et manu ferroqve pro religione propugnarent. Qvod consilium captis superstitione animis eo valuit, ut ad sepulchrum Christi invisuris liber in Palaestinam commeatus esset, et pietati illuc venientium securitatis beneficium rependeretur. Illudqve ad mu-

nus capessendum dux praecipue et auctor fuit *Hugo de Paganis*, primus eius ordinis, qvi *Templariorum* * nomen tulit, magister, virtute bonisqve artibus in eum locum evectus, ut saluti commodisqve adeuntium consuleret, atqve effusam ex Europa multitudinem contra grassatorum iniurias tueretur, prodito successoribus exemplo, qvod tandem tristis eventus in exitium vertit, atqve Ordo iste mira qvadam rerum inclinatione facta est deletus, adeo ut capita membraqve eius execrationibus devoverentur, et non aliter haberentur, qvam si omnia pietatis honestatisqve iura violassent.

* *Horum series ex Villanovano Carthusianorum monasterio opera diligentiaqve Dionysii Salvagnii eruta, apta utilisqve est cum ad magistrorum illius Ordinis memoriam conservandam, tum annotationem temporum, qvibus unusqvisqve eorum summam in eo dignitatem consecutus est, designandam. Atqvi vero illa toties nominata series magistrorum eqvestris Templariorum Ordinis annis a nato Christo numeratis se habet ad seqventem modum.*

1118. HVGO de Paganis. *Eodem anno Balduinus II. ex Latinis Hierosolymorum rex creatus est.*

1136. Robertus Burgundio. *Qvinto anno post, qvam Fulco suffectus est Balduino II. Hierosolymorum ex Latinis regi, eidemqve socero suo, conf. Tyrius, l. 14. c. 1. seq.*

1149. Ebrardus, sive Everardus. *Qvo tempore valde conversae sunt Latinorum in Palaestina res, deleto ab Saracenis exercitu Raimundi Antiochiae Ducis. V. Ioannes Nauclerus, Henricus Pantaleon, aliiqve. Errat Wolfg. Drechslerus, qvi eum in Chr. Antiochiae regem nominat.*

1153. Bernhardus de Tremulay, seu Bernardus de Trenellage, *qvo anno e vita*

*Will. Tyrius de bell. sacro l. 12. c. 7. affirmat, insignem operam ad hoc institutum collatam esse a Gaufredo a S. Audomaro, qvem communiter efferunt de S. Almaro, secuti Tyrium, qvem tamen omnino emendat Aubertus Miraeus, ac recte docet a S. Audomaro legi debere: sunt enim pleraeqve scriptiones nominum mendosae apud Tyrium, qvas facile est diiudicare. Conf. Ioannes Bocatius lib. 9. cap. 21. de casibus virorum illustrium.*

*vita decessit Bernhardus Clarae vallis Abbas, ad suscipiendam expeditionem sacram ardentissimus hortator, qvi literas exaravit ad Balduinum Fulconis filium, III. huius nominis, successionis ordine V. regem Hierosolymitanum. Fuitqve praeterea usu et peritia egregius, Eugenio Pontifici, qvi eo qvoqve anno obiit, impense cultus, atqve epistolis ad eum scriptis notus, et Conrado II. familiaris, qvem ad expeditionem* cruciatam *induxit,* * *dignaeqve sunt eius epistolae, ut a viris pragmaticis legantur. Vid. Chronol. Monach. Altissiod. A. 1153. Hartm. Schedel. in Conrado III. Sed de eius auctoritate multum detraxit infaustus illius expeditionis eventus.*

1128. Bernardus de Blanchefort. *Hoc primas tenente inter milites templi, sat multa indicia belli sacri non felicem exitum habituri prodita fuere, partim ob longinqvitatem itinerum consumptosqve commeatus, partim ob multitudinem scipsam non capientem, institutisqve dissimilem, ac successibus prosperis elatam qvoqve, et ad exitium usqve suum securam, partim ob proditionem domesticam, in qva concitanda artifex fuit Saladinus, partim ob non servatam infidelibus fidem, partim ob diffidentiam et contrarias machinationes Graecorum, qvi aeqve sibi a Latinis et Occidentalibus, qvam a Saracenis, Turcisqve timebant, partim ob Balduini III. et matris dissidia, partim ob alias causas, qvarum pleraqve capita in VVilh. Tyrio extant.*

1165. Andreas. *Altero anno ab rege VI. Hierosolymorum Amelrico Magistratum inter* fratres militiae templi *iniit: a qvibusdam nominatur annus 1163. suscepti ab Amelrico regni, cuius sententiae est Elias Reusnerus Isag. histor. aq. Rom. ad h. an. contra Tyrium rerum actorumqve oculatum testem sentiens. Vid. is lib. 19. cap. 1. seq.*

1168. Philippus de Neapoli: *Hoc magistro Saraceni viribus, armorumqve usu et potentia sublati, auctore Saladino, in immensum crevere, brevi, ut apparebat, Hierosolymorum regnum dissipaturi. V. Tyrius 21. c. 7. seq. qvi Saladini calliditatem, disciplinam mili-*

* Eo consilio valde laudavit Godefridum Bullionium, atqve adductis argumentis institutum belli sacri comprobavit. V. eius exhortatio ad Ludovicum iuniorem. Qvod Bernhardi consiliũ Conrado III. datum ubi cecidit infeliciter, Eugenius Pontifex Caesarem singulari epistola est consolatus, qvae extat ap. Ottonem Frising. de vit. Frid. I. l. 1. c. 61. Ne nunc affectam, S. Bernhardum etiam ad Templarios scripsisse. Tantum addo, Godefridum Bullionium fuisse Ducem Lotharingiae, Ripuariae, id est, Brabantiae, non Mosellanicae, argumento diplomatum Belgicorum, in qvibus nominatur Dux Brabantiae. V. Mir. dipl. Belg. tom. 1. c. 81. Etsi autem ibidem appellatur *Christianissimus Ierosolymorum Rex*, tamen ipse hoc titulo scribere se non est solitus, Io. Molanus de milit. sacra p. 86.

*Angliae Henricum scriptis, qvibus captae Hierosolymorum urbis meminit, hoc titulo est usus.* Frater Terricus, qvondam magnus Praeceptor domus Templi Hierusalem. *Idem et nominatur magnus* Praeceptor *Templariorum: unde stylus scripturae Prettinensis declarari posset, si qvidem instituti ratio id ferret.*

1190. Gvalterius. *Eo dignitatem primatus militiae templi moderante, Acon recepta, sed fato potentiae ab exitio proximae. Christianorum reges Proceresqve commissi, re post infecta in Europam redierunt, Saladinus qvoqve fulmen illud belli Saracenici, anno MCLXXXXIII. vivis est exemptus.*

1195. Robertus de Sabloil. *Sub hoc afflictissimus Templariorum Ordo, jamqve a custodia templi summotus, dignitatis pariter et fortunae jacturam fecerat.*

1196. Gilbertus Horal, seu Erailus. *Neqve sub eo vel instaurari lapsa res, vel emendari fortuna potuit, etsi auspicio Henrici VI. Imp. denuo expeditio suscepta, et Hamericus rex Hierosolymorum renunciatus est, ut praescripto titulo ius ad regnum illud retineretur: qvod tamen praevalentibus post Saracenorum armis, a Latinis plane est derelictum, atqve adeo ab eo tempore reges Hierosolymorum possessione moti, titulo saltem, cuius hodieqve a Ioanne Brenna,* * *qvi in Hamerici Gvidonis Fr. locum surrogatus est, ductum inane nomen retinetur, gloriari potuerunt.*

1198. Pontius Rigaldus. *Cuius Magistratum Henrici VI. Imp. e Palaestina discessus insignivit, expeditionisqve ab eo susceptae gloriam obscuravit, et foederati sacri belli duces periculum veritos ad repetendam Germaniam commovit, ut potius in fugam, qvam reditum incitati viderentur.*

12... Philippus du Plessiez. *Duae numerorum notae desunt, iniuria temporis forsan detritae: qvod nomini successoris eius pari fortuna evenit, in qvibus restituendis nolim taediosam operam collocare. Utriqve enim non magno temporis spatio militibus templi praefuerunt, et in tempora certe turbida calamitosaqve inci-*

* Ioannes Brenna, titulotenus rex Hierosolymorum, habuit filiam Iolen (alii Iolantam nominant) qva in matrimonium accepta Fridericus II. Imp. et Siciliae rex titulum regni Hierosolymitani per successionem gerendum obtinuit, qvē etiamnum Hispani qva Siciliae reges usurpant, Th. Fazellus de reb. Sicul. decad. lib. 8. c. 1. pag. 439. Carolus Sigonius de regno Italiae lib. 17. p. 32.

*inciderunt, illius etiam magistratus initium crudelissimo Ioppae excidio est foedatum.*

12... Deodatus de Breisiaco. *Quo tempore memorabilis facta est rerum Constantinopolitanarum conversio, urbs capta, imperium Balduino Flandro traditum, atque ita potentibus rerum Latinis, Graeco-Romani novos imperatores ex Occidente habuerunt. Annus captae Urbis fuit MCCIV. In quam rem V. Nicetas, Georgius Logotheta, Arnoldus Lubecensis, Paulus Aemilius, et complures. Balduini recens imperatoris Constantinopolitani epistola vid. apud Arnold. Chron. Slav. contin. l. 6. c. 20. collat. cap. 19. ibidem.*

1210. Petrus Montacutus. *Hoc militiae templariorum praefecto, magna versus Hierosolymam concurrentium turba plus ardoris, qvam consilii habuit, nec tam iuvit, qvam impedivit institutum, V. Abb. Stad. an. MCCXII. Qvos excivit haud dubie epistola a Balduino scripta apud Arnoldum Chr. Slav. lib. 6. c. 20. Cumqve saepe inopia commeatus gravarentur,* braxeam *pro tessera sumptam ex Io. Aventino tradit Mart. Crusius, annal. Svev. dodec. sec. l. 8. part. 2. c. 14. Unde videtur arrepta occasio foederis seditiosorum rusticorum A. 1502. appellati.*

1216. Gulielmus Monredonius. *Illo Ordinis instituta moderante, nuncius de expeditione Friderici II. allatus. Templarios laetos atqve alacres in perseqvendum bellum reddidit, magnusqve eo confluentium numerus saltem spem successus melioris fecit.*

1218. Gulielmus de Carnoto. *Is longiori, qvam ceteri, temporis spatio Ordinem rexit, et recepta auspicio ductuqve Friderici II. Hierosolyma, instauratae fortunae partes qvodammodo colligere studuit, sed ut humana sunt, ac levi momento turbantur, ita sub hoc tempus omnis inposterum felicis successus spes amissa est, postqvam Templarii ipsi sibi et mali, et ignominiae causam dederunt, qvippe in proditionis crimen vocati, propterea qvod Friderici II. Imp. in Palaestinam profecti consilia iussaqve pro eo, ac Ordinis lege tenebantur, exeqvi recusassent, caussati censuram Ecclesiasticam, qva Fridericus II. a Pontifice*

tifice

*tifice Romano notatus fuisset.* * *V. Conradus Urspergensis an. 1227. 1228. ubi inter iniurias, qvas perpessus est, numeratur* perfida proditio Templariorum. ** *Is tamen qva erat magnitudine animi, et refecit vires, et recuperatam anno MCCXXIIX. Hierosolymam victor intravit, fulturus ruentis eius regni reliqvias, nisi cum Gregorii IX. Pontificis iniqvo animo, et allatis repetitae censura molestiis confligendum fuisset. Ursperg. an. 1228. 1229. Albertus Stadensis annis iisdem execrationis Pontificiae, et apologiae Caesareae formulam subiunxit.*

1244. Hermannus Petracoricensis. *Tunc subsidia, commeatus, disciplina belli et ordo, felicitasqve imminuta, consilia metu et assensionibus perturbata, atqve omnia in deterius versa: Saraceni interim ex rebus adversis Christianorum, et cumprimis Ludovici regis Francorum captivitate animos sumebant, et iam utilitatis suae causa fidem datam qvoqve violabant. Vincentius Beluacensis specul. historial. l. 32. c. 102. cuius fragmentum de rebus orientalibus a Rein. Reineccio post editum fuit. Germaniae robur, per idem tempus bellis civilibus attritum consumptumqve, vix domi sibi ipsi sufficiebat: tantum abfuit, ut de liberando externo et ad se non pertinente regno, propter qvod saepe alioqvi in periculum venit, cogitaret.*

1250. Gulielmus Sonnat. *Qvo anno captus est Ludovicus sanctus, Rex Francorum IX. huius nominis, cuius vitam resqve gestas composuit Gaufridus de Bello-loco, edidit Claudius Menardus Parisiis A. MDCXVII. Cetera divinioribus auspiciis acta, qvae vulgo memorant,* miracula *nuncupantes, consignavit Gvilelmus Carnotensis: post, auctore Bonifacio IIX. in divos relatum, docet* bulla canonizationis *evulgata. Cuius vitae rationes tam compositae, tamqve recti exempli fuerunt, ut ab omnibus Francorum regibus dignae existimari possint, qvae usu imitationeqve exprimantur, nisi qvod nimio expeditionis sacrae desiderio, dum sanctitatis laudem augere studuit, prudentiae gloriam corrupit, et magnum sibi Francorumqve rebus detrimentum attulit. In Palaestina multis et miserandis casibus, adversa Francorum fortuna, diffidentibus consiliis, ac gliscentibus inde, Venetorum inprimis atqve Genuensium, factionibus, res Christiana afflicta tan-*

*Contra eam et sensit, et scripsit, et Patavii dixit Petrus de Vineis, Friderici II. Cancellarius, et arcani consilii socius, cuius sex epistolarum libri a Simone Schardio ICto editi, multum prudentiae continent, et thesaurum qvendem actorum aevi illius ostendunt.

** Hoc crimen ultus est Fridericus II. bonis eorum, qvae in Italia possidebant, in fiscum redactis, Th. Fazellus de reb. Sicul. post decad. lib. 8. cap. 2. p. 442.

*dem eversaqve est. Eo vid. vita Ludovici IX. Gvil. Tyrii continuatio lib. 4. cap. 11. seq. In huius magistratum incidit memorabilis rerum Latinarum inclinatio Constantinopoli facta, qvando Michael Palaeologus imperium Graeco-Romanum stirpi suae iam qvinqve et qvinqvaginta annis praereptum, occasione belli Veneti Ligusticiqve usus, recuperavit, Latinorumqve potestatem delevit. Qvod qvomodo acciderit, gestumqve fuerit, copiose traditum est a Nicephoro Gregora lib. 3.*

1264. Petrus de Belgiou. *Tunc vero inter calamitates et praesentissimum Palaestinae in universum amittendae periculum, nonnulla spes ex altera Ludovici S. expeditione affulgebat: sed qvanta qvanta etiam industria illuc se comparabat, et regnum Tunetanum Saracenis erepturus, occasionem instrumentumqve firmandae in Palaestina potentiae qvaerebat, atqve ex Africa, ad navale et praecipuum imperii proferendi robur opportuna, Asiam in officio continere statutum habebat: tamen fato datum esse, intelligi poterat, ut ex toto Oriente Christianae militiae Principes decederent, resqve publicae illae transmarinae et retinerentur a barbaris, et administrarentur. Itaqve Latini fortunam accusabant, cum Ludovicus, cuius expeditio magni aestimata est, fato suo fungeretur, * rex summae, etiam apud barbaros, existimationis, ut scriptor illorum temporum Gaufridus c. 45. commemoravit. Haud meliorem exitum habuit nuper consilium de* Gigeri *invadendo, ut hinc qvoqve eius regni, priscis finibus continendi, ratio viaqve optima iniri debeat.*

1272. Robertus. *Res docuit, neqve huius, neqve inseqventium magistrorum tempora Latinis fortunata fuisse, irritis qvippe tot Germanorum, Gallorum, Anglorum, Vngarorum, Italorum Belgarumqve expeditionibus, qvibus flos gentium exhaustus, multaeqve Nobilissimorum hominum familiae vel consumptae, vel ad egestatem redactae fuerunt.***

1285. Gvifredus de Salvaing. *Accepi, hunc ex antiqvissima Delphinatium Eqvitum gente esse, *** sed miseria temporum Ordinisqve ad angustias redacti infelicem, corrigendae eius fortunae nec occasionem, neqve facultatem habuisse.* 1288. Pe-

*A. 1170. mortuus, 1271. sepultus.

**Documento est Godefridus Bullionius, qvi totum patrimonium suum huic expeditioni impendit. v. Bernhard. in exhort. ad Ludovicum iunior. Aub. Miraeus Notit. Eccles. Belg. p. 260. et annal. Belg. p. 678. Io. Molanus milit. sacr. p. 84. Qvo factum est, ut Episcopus Leodiensis titulum domini, et post Ducis Bullionii iam seculo sane xi. obtineret. Ex eadem causa adductus est Adolphus comes Schavvenburgicus, ut in militiam sacram profecturus, pro pecunia, qva tunc indigebat, accepta urbi Hamburgensi insignia luculentaqve privilegia concederet. El Reusn. ex Chytraeo. Aqvil. Rom. p. 443.

*** V. Dionysius Salvagnius Boessius de septem Delphinatus miraculis p. 110.

1288. Petrus de Belgiou, seu Bellivisus. *Alius a superiori Petro huius nominis, qvo rectore Ordinis, Latini animo plane cecide- runt, et capta A. M CC LXXXX. Ptolemaide, velut omni robo- re confecto, viribusqve postratis, ex temporum statu ac necessita- te, omittendi belli sacri consilium ceperunt, iam sero et magno suo damno intelligentes, bellum illud, qvo omnes prope nervos spiri- tumqve absumpsissent, plus audaciae ambitionisqve, qvam iusti- tiae, habuisse.*

1291. Gulielmus de Belloioco, *a qvo non magno temporis spatio abest Gaufridus de Belloloco, gnavus atqve gnarus huius seculi scriptor, qvi cum auctoritati Gregorii X. Pontificis, tum memo- riae Ludovici S. tribuit, ut omnia vitae eius acta, et expeditio- nem bis susceptam monumentis commendaret.* * *Sub id vero tempus omnes Latinorum in Palaestina reliqviae vel direptae, vel amissae fuere,* ** *iamqve magistri Ordinis, cum neqve ipsi, neqve ullus alius impetum Saracenorum cohibere posset, titulum potius, qvam munus istius militiae gesserunt, et postea securius solutiusqve vivere coeperunt.*

1309. *** Iacobus de Molay. *Aliis Iacobus Mola, qvi multorum scele- rum accusatus, et vitae existimationisqve iacturam fecit, fuit- qve de eo et sociis, fratre Delphini, Principe Viennensium, Hugo- ne Peraldo, et qvodam thesaurus regiis praefecto, cuius nomen a nemine historicorum commemoratur, assensu Pontificis Clemen- tis V. iudicium capitis habitum, et lata in eos severissima senten- tia decretum, ut propter aversos a Deo religioneqve animos, et foeda in regem remqve publicam admissa crimina, poenas lue- rent. Qvi etsi multa in contrarium afferebant, ut innocentiae suae causas rationesqve demonstrarent, tamen et Philippi Gal- liae regis Ordinem deleri cupientis auctoritate, et Pontificis Con-*

* Extat vita eiusdem a Ioinvillano descripta, ubi regis piissimi e vita deces- suri ad Philippum filium, qvi Templa- riorum Ordinem sustulit, piissimus ser- mo legi po- test.

** Vera ea- qve civilis momenti causa amissae Palaestinae fuit detesta- bile dissidium inter Raimū- dum Comi- tem Tripoli- tanum, et Gvidonem Lusignanum, ultimum Hie- rosol. regem, qvod eo us- qve exarsit, ut ille etiam cum Saladino foedus con- tra Latinos pacisceretur. Conf. Io. Ti- lius de rebus. Gall. l. 1. p. 60. edit. VVechel.

*** Alii annum supplicii huius Magistri, deleriqve in solidum Ordinis numerant M CC VII. Cum his consentiunt Io. Trithemius Chron. Sponheim an. 1307. Monachus Nussiensis ex Alphonso, qvi eiusdem anni III. Idus Octobr. computavit, inter recentiores Dionysius Petavius, vir, si qvisqvam, in conficiendis temporum rationibus maxime diligens accuratusqve. Itaqve forte auctor schedae in Coenobio Villanovano repertae hic est deserendus. Cranzius an. 1309. retinet, Vand. VII, 47. Bucholcerus an. 1312. definit, alii alium putant.

*ciliiqve Viennensis approbatione confirmatum sancitumqve fuit, ut sublato extinctoqve Ordine illo, qvi a maiorum vestigiis discessisset, et doctrina vitaqve depravata labem sibi aspersisset, ac notis detestandae turpitudinis, haeresios, blasphemiae, nefandae libidinis scelestorumqve facinorum affectus fuisset, magister sociiqve morte multarentur, et bona redituusqve ipsorum partim eqvitibus Rhodiis attribuerentur, partim fisco inferrentur. Iure ne, an iniuria, multis et contrariis sententiis diu certatum fuit.* Ioannes Nussiensis Monachus ex Alphonso *refert, abnegasse Christum, profanasse salutiferae perpessionis signum, probrosisqve sermonibus appellasse sanctam crucem, religiose coluisse Diabolum, atqve adeo omnis pietatis honestatisqve oblitos fuisse, magn. Chron. Belg. p. 269. Contra eum sentit* Ioannes Villaneus, *scriptor Italus, fide praeclarus, et illis temporibus proximus, qvippe qvi sub initium Caroli IV. Lutzelburgici vivere desiit, lib. 8. hist. Flor. cap. 92. qvem secuti sunt* Antoninus *Chron. part. 3. tit. 21. §. 3.* Albericus, *et complures.* Hartmannus Schedelius, *fol. 201. narrat, palis alligatos, iamqve in ignem mittendos dixisse, se esse innocentes, et una mente animoqve sensisse cum Christianis, atqve in hac sententia usqve ad mortem perseverasse. Theodorus Engelhusius refert, magistratum Ordinis Iacobum Molam, qvi cum fratre Delphini Principis Viennensium, neqve vi, neqve astu de sententia dimoveri potuit, ad Deum iudicem provocasse,* et Clementem Pontificem regemq; Philippum, non sine indicio divinae ultionis, eodem anno mortuos fuisse, Chron. p. 265.* Ioannes Nauclerus *tradit Germaniae Antistites a causa Templariorum stetisse, atqve ad iustitiam illorum insigne momentum attulisse, Chron. vol. 2. generat. 44.* Ioannes Bocatius *haud inficiari potuit, in defensae innocentiae proposito constantes fuisse, et* perseveranti fortitudine avari regis perfidiam vicisse, *nisi prompta moriendi voluntate cupiditatem eius inexplebilem stimulassent nimis atqve excitassent, operis eruditi de casibus virorum illustrium lib. 9. c. 21.* Ioannes Aventinus, *et pleraqve superiorum seculorum chronica in eo consentiunt, Clementem amicitiae Philippi regis dedisse, qvod tam severe in hunc Ordinem consuluisset, annal. Boi. l. 7. p. 592.* Paulus Langius *memorat, Ordinem* per provisionis potius, qvam condemnationis viam *sublatum extinctumqve esse, Chron. Citiz. an. 1311. Conf.* Cyriacus Spangenberg *in Speculo Nobil. lib. 11. cap. 5. Multi nil definiunt, contenti narrasse factum,* VVernerus Rolevincius

* Engelhusii illae rationes sibi non constant: nam Philippus pulcher anno MCCC XIV. e vita migravit, Io. Tilius de rebus Gallicis l. 1. p. 76. Ordo Templariorum A. M CCC VII. est eversus Trithemius Chron. Sponheim. A. 1307. Alioqvi mos ille provocandi ad tribunal Christi est mali exempli, ac cum divino iuri, tum rectae rationi caritatiqve Christianae adversatur, et petit aliqvid e maiestate iudicii divini, atqve animũ male compositum impatientemqve indicat. Cuius documentum extat apud Lamb. Aschafnaburgensem An. 1059. Io. Aventinum lib. 4. annal. Boi. Mart. Crusium annal. Svev. dodec. secund. l. 10. part. 2. cap. 14. Conf. Petrus Gregorius Tholozanus tr. de appellationibus lib. 1. cap. 3.

cius *fascic. tempor. an. 1304.* auctor Compilationis Chronologicae *an. 1311.* Albertus Cranzius *Saxon. lib. 9. c. 3.* * Chronic. Augustanum *Marci Velseri continuatum pag. 66. Alii plane contrarium statuunt:* Paulus Aemilius *de reb. Franc. l. 7.* Robertus Gagvinus, *lib. 7. in eandem sententiam ab auctore Paralipom. Urspergensi subiunctorum adducti an. 1303.* Petrus Crinitus *de honesta disciplina l. 24. c. 13. et inter recentiores Galliae scriptores Renatus Choppinus. In qva controversia ante omnia necesse est considerari eos, qvi Ordinem sacrae militiae instituerunt, voluisse, ut Templarii honesta ratione arma expedirent, et nil proprium habentes, caste reverenterqve inter se colerent, et vere atqve ex animo rei Christianae contra barbaros operam navarent, si qvid acqvirerent, non sibi, sed regno Hierosolymitano nuper constituto, reiqve publicae Christianae accederet, ut* Iacobus de Vitriaco, *rerum harum certe peritissimus auctor, ex eoqve* Monachus Nussiensis, Henricus Pantaleon, *aliiqve copiose dudum ostenderunt. Itaqve cum hoc institutum ultro libenterqve, et voti religione etiam obstricti amplecterentur, et pactis inter eos regesqve Hierosolymitanos, populumqve Christianum initis lex diceretur, ut peregrinos ad sepulchrum Christi venientes contra vim insidiasqve defenderent, ac non lucri qvaestusqve, sed Dei honoris causa militarent, instituto hoc suscepto sane bene honesteqve uti, neqve fidem et promissa fallere, nedum Saracenis consilia prodere debuerunt.* ** *Unde seqvitur, coercitioni locum dandum fuisse, si ab his atqve honestis maiorum institutis abirent, non conscientiae suae (erroneae qvippe saepe ac depravatae) permittendi, sed merito plectendi, cum ut poenae tenerent suos auctores, tum ut scelera publica militum qvoqve impunita ne manerent. Recte Heliodorus elegantissimus sophista, Aethiop. IIX.* νόμον πολέμου *nominat, indicans, a iustis armis improbitatem abesse oportere. Proinde obseqvii vinculo ipsi se solvere non poterant, nec supremo iure praediti, Ordinem suum continebant, sed in Palaestina regibus Hierosolymitanis, rebusqve ibi conversis, regibus Francorum inprimis obnoxii erant, ac beneficiis clientelisqve post aucti, sub eorum imperio iurisqve dictione magister et sedem, et Ordo praecipua bona habebat: reliqvae per Germaniam, Hispaniam Angliamqve possessiones pari dependentis iuris ratione sub Clientela Principum tenebantur.* *** *Non ergo dubium erat, qvin reges atqve Principes Christiani, qvi voluntate iuvandae tuendaeqve rei Christianae contra barbaros, Ordini beneficia cumulaverant, si is et peccandi licentia, et patrandi sceleris consvetudine in universum mutatus corruptusqve, con-*

* Vandal. VII. 47. affirmat, gravia crimina ipsis obiecta, sed de iis non confessos, neqve ut confiterentur, tormentis adigi, potuisse. Illis tamen accedere videtur; qvi poena vindictaqve dignos fuisse arbitrantur, suspicione magis, qvam certis documentis.

** Dolum qvorundam eius Ordinis in Palaestina notavit Arnold. Lub. Chr. Slavor. contin. l. 3. c. 37.

*** Terra sancta extrusos in regnis Franciae, Angliae, Hispaniarum substitisse, tradit Cranzius, Vandal. lib. 7. c. 47.

*tra maiorum instituta publicasqve leges facere pertenderet, atqve adeo erga primos auctores benefactoresqve obstinate ingratus esset maneretqve, iure potestateqve competente suo qvisqve in regnis ac regionibus auferre potuerint. Sed dubitatio superest, an causa recte cognita, attributa Magistro sociisqve eius qvondam bona abiudicata ablataqve fuerint. Eqvidem constat, causam mortis iis fuisse talem, qvae non ad salutem rei Christianae, sed ad rationes fisci regii referretur, et bona iusto donationis titulo parta, diuturno tempore, continuatoqve usu sine iniuria et periculo Principum Christianorum possedisse, neqve rempublicam et iura alieni imperii invasisse, neqve omnes, nedum capita ipsorum Iacobum Molam et fratrem Delphini, publicorum criminum convinci potuisse. Diserte* Ioannes Villaneus *testatur, ultimas voces ab iis editas, TEMPLARIORVM ORDINEM CATHOLICVM ESSE, IVSTVM ET SANCTVM. Non ergo nisi ob praecedens edictum vita possessionibusqve suis multari potuerunt, propterea qvod nullum ius fasqve sinit, ut eius puniendi facultas habeatur, qvi ex nullo delicto ad poenam obligatur. Hugo Grotius de iure B. et P. II. 20. 3. Tum vero ob aliqvos depravati moris socios non erat iusta sufficiensqve causa, cur universus Ordo deleretur. Recte Demosthenes contra Leptinem dixit, ob paucos, qvi culpentur, omnibus sua praemia non esse eripienda, qvippe qvod ἀδικούντων, iniuste agentium esset. Imo si ob improba facinora, qvorum tamen non omnes rei erant, tam atrociter statim in Templarios vindicari oportuit, iustum fuit, ut, qvi iudicium munere fungerentur, nil darent affectibus, neu studio cuiusqvam statuerent. Constat autem publicis argumentis, qvid ea in re actum fuerit, qvomodo prius decretum sit factum, qvam tota accusationis defensionisqve ratio rite ac legitime expediretur: qvantum item voluntati regis Philippi,* cuius odium non expedire sibi credebat Pontifex, tributum fuerit, qvid demum in cognitione, a Concilio Viennensi instituta, desideretur, qvippe qvod totum Pontifici obnoxium, in eius atqve regis gratiam decernebat. Eratqve Pontifex alioqvi Templariis subiratus, propterea qvod causa dignitateqve sua freti, ad nutum Pontificis protinus se non compararent: id qvod regi non tam in mores, etsi ii speciose praetexebantur, qvam in facultates possessionesqve ipsorum conseqvendas intento, sic satis opportunum accidisse videbatur, ut eo minus pateretur hanc occasionem e manibus elabi, qvod cum aerario amplificando inprimis coniuncta esset. Qvanqvam si fingam, universum Ordinem moris atqve exempli corrupti fuisse, qvod tamen ut conceda-*

* Suprema eius verba ad Ludovicum Hutinum de conservandis tuendisqve Ecclesiae iuribus prolata, plena pietatis, diligenter significanterqve enarravit Reginaldus confessarius.

*cedatur, nullae graves sufficientesqve causae sunt, tamen ideo non statim delendus fuit, qvando auctoritate publica emendari potuit atqve reduci ad frugem. Haud secus ac alii sacri Ordines, saepe ac inprimis seculis XIII. et XIV. ob proiectam disciplinam corruptelasqve varias non continuo sunt extirpati, si maxime propter pessima exempla notati sunt, et merito suo reprehensi atqve emendati. At ii praecipue Ordines, qvorum animi in otio potius et superstitionum inanibus, qvam in Ecclesiae reiqve publicae commodis defixi erant. Causa vero, cur cum Templariis, etsi meliorem viam ingressis, multo secus actum fuerit, non alia adduci potest, qvam qvod eorum opes cupiditati regis aerariiqve utilitati serviebant. Alioqvi per se innocentes hactenus, et ad belli disciplinam eruditi, usui esse poterant Christianis expeditionibus, inprimis contra Turcas, qvorum potentia sic post invaluit, ut Saracenorum vires aeqve ac Graecorum everteret, atqve adeo ad istos reprimendos honesto Ordinis ipsorum auctoramento adhiberi excitariqve deberent. Sed vicit acerbior sententia, damnatiqve sunt Templarii, licet neqve a Christianae reipublicae obseqvio defecissent, neqve talis defectionis in universum convinci potuissent.*

XIII. Alioqvi non possum inficiari, omnes illas sacras expeditiones, qvantumvis fortissime susceptas, nullam veram solidamqve iusti belli causam habuisse, at nihilominus iam olim visas esse maioribus nostris religionis qvendam iustitiaeqve titulum prae se ferre, et publice etiam decretas fuisse atqve approbatas. Tum qvod Palaestina, ea sane regio, qvae prima recuperatae salutis aeternae monumenta habuisset, qvaeqve natum et mortuum Dei filium excepisset, proprio iure Christianis deberetur, et qvia per vim erepta, in potestate barbarorum esset, iuste repeteretur: tum qvod pietati officioqve Christianorum conveniret, ut erga Christianos sub dominatu Saracenico indignam se Christiqve nomine sortem servitutemqve tolerantes, hoc amoris sui documentum publicum luculentumqve extaret. Sed si rationes penitius scrutamur et qvaerimus, facile est iudicatu, omne illud bellandi institutum robore potius ac viribus, opinioneqve seculorum super-

perſtitionem qvaeſtui habentium, qvam iure valuiſſe. Etenim non propterea iniuſta ſunt imperia, qvi ab impiis barbarisqve poſſidentur, neqve religio Chriſtiana eſt eiusmodi, ut ob eam dominia et Dei voluntate nutuqve, et gentium omnium conſenſu, approbationeqve nixa, cuiqvam genti ſine evidenti iniuria, ſineqve praecedenti maleficio, qvo gentium cum gentibus ſocietas turbata forte laeſaqve ſit, auferantur. Neqve tantum iſta nomine tituloqve ſacra, et impetu magis, qvam conſilio ſuſcepta bella, iniuſta, ſed etiam prorſus inutilia, ac reipublicae pernicioſa etiam fuerunt. Neqve tamen illud ſic accipiendum eſt, qvaſi ob eam cauſam oportuerit deleri Templarios, propterea qvod ipſi honeſtis conditionibus retineri, et ad qvaevis alia reiqve publicae neceſſaria bella, ſumptibus viribusqve ſuis iuvanda, obligari adhiberive potuiſſent. Non aliter, atqve Ordo Teutonicus dignitates praefecturasqve ſuas, iam inde antiqvitus pro meritis datas conceſſasve, ſervavit, et pro eo, ac debuit, fidei fortitudinisqve laude enituit: qvi ſi nec auditus et innocens damnaretur, id profecto ſummae iniqvitatis futurum eſſet. Adeo nunc per ſe qvisqve intelligere ſatis poteſt, non tunc agi coepiſſe, ut corrigerentur Templarii, ſed ut omnibus facultatibus opibusqve, et fructu etiam exiſtimationis bonae, vitaqve ipſa privati, prorſus extirparentur. Qvi caſus qvam triſtis accerbusqve fuit, tam efficax exemplum ad monendos *Eccleſiae Vitricos* afferre debuit, ut fortunam ſuam aeſtimantes, nihil munere ſuo indignum, nihilqve Eccleſiae pernicioſum atqve intolerabile admitterent, ſed omnes miniſterii ſui rationes et recte conficerent, et commoda inprimis tuenda ſuſciperent, et fidei integritatisqve laudem perenni ac perpetuo ſtudio conſervarent. Qvod ſi bene fixum omnibus deſtinatumqve in animo fuiſſet, perinde ſuae famae, ut Eccleſiae utilitati conſuluiſſent, et tot ac tantis qverelis, qvae paſſim auditae, ac prope

etiam

etiam magis de ipsis, qvam de *Templariis* * cumulatae sunt, occasionem praecidissent, multo minus causam dedissent, cur graves et integri homines iure ipsis et maxime succenserent.

* *Longe alia sententia est Monachi Altissiodorensis, ab Nicolao Camuzaeo editi, cuius et voluntas et studium summum erga milites sacros fuit, qvem ceteri illorum temporum scriptores, si paucos excipias, magno numero seqvuntur.* Nulli, *inqvit*, ambigendum est Christiano, qvin plurimum profuerit fidelibus peregrinatio tam fideliter suscepta pro Christo, qvia etsi negotium, qvod intendebant, effectu caruit, fidei tamen intentio praemio non carebit, fol. 96. *Ibidem innuitur coelestis providentiae arcanum, qvod siverit fieri, ut sacrae expeditiones male caderent, aut impedirentur. Perinde ac si cum honore Christi, ac religionis incremento coniunctae fuissent, eoqve magis ex sententia succedere debuissent: id vero ubi non contigisset, affirmat, in illo expeditionum sacrarum instituto familiam duxisse* fidei intentionem, *et vel solam valuisse. Sed qvale id sit, liqvet, qvando Altissiodorensis ex* intentione fidei *iustitiam eius belli iudicat, et in proposito acqviescit, cum de ratione formaqve actus qvaeri oportuit. Nam et infideles et barbari communi qvodam iure nobiscum continentur, atqve in societate gentium sunt tales, ut iis recte uti debeamus, qvodcunqve etiam sit, qvod cum iis agamus agendumve habeamus. Eythydemus graviter et vere dixit.* Τοῖς ἀνθρώποις καλῶς χρώμενοι, καλῶς πράττουσι apud Xenoph l. 4. memorabil. *At qvi infideles ideo, qvod sunt infideles, exuunt imperio, ii sic affecti sunt, ut non modo res humanas non bene agant, sed ne recte qvidem aestiment, qvod non sinunt valere iura, qvae homines ipsos conciliant inter se atqve coniungunt. Hostis enim est, non qvi sacra nostra non amplectitur, sed qvi sumptis armis rempublicam iniuste laedit lacessitqve, ubi ius belli incipit, qvia iniuria praecessit, qvippe qvae sola dat causam bello, ut, qvod per iniustam invasionem ablatum est, iusta bellica via recuperetur. Eam in sententiam valet, qvod Manuel Palaeologus sapienter censuit ac svasit, cum omnibus, etiam infidelibus,* βαρβάρων ἔθνει, *pacem esse colendam,* in praeceptis educationis regiae LVI. *Etenim et iurium, et officiorum humanorum, et pactorum capaces sunt,*

* Horum in consiliis suffragiisqve inaugurandorum Hierosolymae regum qvoqve pondus fuit, Arnold. Chr. cont l.3. c.23. Munere ducẽdi hospites functi, dona luculenta ad praedia sibi comparanda acceperunt, ne ea in parte Hospitalariis inferiores essent, eiusdem libri c. 7. Regem Hierosolymorum cũ barbaris pugnaturum inter primos Ordines secuti, eoqve Saracenis maxime invisi, l. 3. c. 25. Eorum consensu ardua regni negotia suscepta, tutelaqve regis Gvidonis minoris annis gesta, l. 3. c. 24. A. M C XCI. regnum Cypri a rege Angliae attributum, sed id Gvidoni redditum fuit. Conf. Iacobus de Vitriaco, qvi in novo illo Hierosolymorum regno versatus est, histor. Hierosol. l. 1. c. 64 65. 94. Marinus Sanutus l. 3. par 7. c. 3. p. 9. c. 4. Gvil Neubrigensis l 3. A M C XXCVII. victi sunt ad Casalas Roberti, Anton. Geufraeus de imp. Turc. l. 5. p. 190. Conf. Petrus Bizarrus in historia singulari expedit. sacr.

*sunt, adeo ut Persae, qvanqvam de vicinis abiecte sentiebant, conscientia qvadam iuris socialis ab iniuria barbaris inferenda manus animosqve abstinerent, siqve comes pacatosqve se praeberent, in amicorum loco ducerent.* auctore Xenophonte de expeditione Cyri lib. 5. *Qvod eo magis ostendi comprobariqve potest, qvia Saraceni, qvi iam longo tempore occupatam armis Palaestinam tenebant, nullam imperii partem, nullumqve terrae pugillum Latinis eripuerant, nullamqve ius ipsorum violaverant, armorum titulo et diuturna continuataqve possessione innixi.* * *Itaqve saltem ad Graecos ius belli pertinuit, si iure qvidem Saracenis adhuc bellum moveri potuit, eo qvod non facile ius alienum obtendi posset: non Graecorum, qvippe qvi ita se gesserant, ut iure suo excidisse viderentur: non Latinorum, qvibus nullum ius ablatum erat, qvorumqve bellum ipsis Graecis suspectum fuit atqve formidatum.* ** *Qvamvis autem inficiari nolim, Alexium Graecorum imperatorem Latinorum auxilia accivisse, eaqve de causa Vrbanum Pontificem freqventer et serio solicitasse, tamen illud institutum longe alio spectabat, qvam a Latinis est acceptum. Qvin imo si is declarasset animum transferendi omnis sui iuris in Latinos, qvod superiores Constantinopolitani Imperatores illic habuerant, adhuc inqvirendum restaret, num in eius potestate fuerit cum Occidentalibus sic pacisci, qvando propter derelicti indicia et antecessorum patientiam sane ius alienum transferre voluisse videri potuisset. Atqvi illo rerum temporumqve statu nec facere hoc tale Alexio integrum fuit, nec, si fecisset, iuris vim plane habuit, propterea qvod ratio-* *ni et*

* Idcirco terra Turcorum a terra Graecorum distingvitur, apud Arnold. Chr. Slav. contin. lib. 3 cap. 10. Saladinus nominavit terram suam et patrum suorum, l. 3. cap. 25. conf. lib. 3. cap 33. Soldanus dixit Friderico Aenobarbo: Domine imperator, in terram meam venisti, l. 3. cap. 33. Ea de causa Saladinus pensionem byzantii [nummi aurei] solvendam imperavit visitaturis sepulchrum Domini: vid. l. 3. c. 26. Qvod iure supremae potestatis qvin potuerit, non est dubitandum.

** De Manuele Comneno vid. Nicetas I, cap. 4. 5. Helmold l. 1. cap. 60. Ea de causa tempore expeditionis III. a Friderico Aenobarbo susceptae, Constantinopolitano imperatori praecipue suspicio mota est his verbis: *Scias, si in terram tuam intraverint (sacri milites) te de solio suo deiicient, et imperium tuum obtinebunt,* Arnold. l. 3. c. 30. Neqve diffitendum est si regnum illud retineri potuisset, 1. barbaros non potuisse dominatum in Europam proferre: 2. reges Hierosolymitanos et Graecos imperatores pariter eo rerum statu coactos fuisse imperatores nostros comiter habere. Hinc Fridericus I, putavit eam expeditionem *ad honorem Romani imperii exaltandum* pertinere Arnold. l. 3. c. 28. 3. ita occasionem datam fuisse redigendi plerasqve maris mediterranei insulas, nominatim Cyprum, in ditionem imperii Romani, Arnold. l. 5. c. 5. 4. Eodem modo inprimis Siciliam ab Henrico VI. imperio Romae Veteris innexam defendit, atqve imperatoriam auctoritatem versus Italiam stabilire licuisse. 5. Sic regnum Armeniae lege dominii beneficiarii ab imperatoribus nostris obtineri potuisse, Arnold. l. 5. c. 5. similem rationem retinendi ducatus Serviae futuram fuisse, l. 3. c. 2. 6. perpetuam palaestram iuventutis Martiae Germanorum illic haberi potuisse. 7. sordes faecesqve reipublicae noxias et inutiles tempestive semper expurgandi eam ansam futuram fuisse, si nec magnum Christiani sangvinis pretium fuisset, et talis bellandi modus iure approbari potuisset.

*ut et legibus sit consentaneum, ut nemo plus iuris in alium transferre posse intelligatur, qvam ipse habet, qvi transferendi signa patefacit voluntatemqve declarat. Non pigeat afferre, qvae in hanc rem memoriae tradidit Conradus Vrspergensis, actorum belli sacri apprime gnarus, et aliqvandiu in urbe Hierosolymorum versatus, unde expeditum sit colligere, rogasse qvidem Alexium, ut copiae Occidentalium subsidio sibi venirent, non ut ex propinqvo regnum conderent, atqve ex ruinis lapsi Graecorum imperii novam ac sibi ipsi timendam rempublicam instaurarent. Proinde si vel maxime priora Alexii consilia eo pertinuissent, ut socialibus Latinorum copiis potestatem faceret ereptas urbes provinciasqve retinendi, tamen in ea sententia adeo non perseveravit, ut qvoqve penitus mutaret animum, atqve illis certe exitium machinaretur. Qvanqvam ad acqvirendam illud Palaestinae dominium, iam diu a Graecis derelictum, imperatoris Graeci approbatione pactove minime opus fuisset, dummodo alioqvi iustus eius belli titulus valuisset. Vtcunqve enim Latini intendebant simul religionis et Alexii causam armis tuendam suscipere, tamen noluit Alexius, ut spatium ipsis opportunitasqve Palaestinae in potestatem redigendae daretur, qvo factum est, ut partim concedendo transitu difficilis esset et tergiversaretur, partim consilia simulationibus eluderet, partim susceptas eius militiae rationes destinationesqve cum barbaris communicaret, partim sive metu externae potentiae, sive invidia Francorum Germanorumqve gloriae semper ad deteriora de his credenda pronus esset, et fidei foederisqve religione ad Latinos circumveniendos abuteretur, deleturus etiam, nisi vigilantia et fortitudine Godofridi impeditus fuisset. Sed pro nobis loqvatur Abbas Vrspergensis, expeditionis sacrae socius, et actorum eventorumqve illius temporis perqvam gnarus.* Alexius, *inqvit*, imperator Constantinopolitanus, super eisdem barbaris praedonibus per maiorem iam regni sui partem diffusis, non paucas epistolas Vrbano Papae (*eius nominis II. qvi ad excitandos eo pietatis animos sanxit, ut aes Campanum mane, meridie et vesperi pulsaretur*) direxit, * qvibus in defensionem Orientalium Ecclesiarum se non sufficere deploravit, obtestans totum, si fieri posset, Occidentem, qvi iam ex integro Christiana professione censeretur, sibi in adiutorium advocari, promittens per se cuncta necessaria praeliaturis terra mariqve ministrari. *Sed qvalem eius rei curam habuerit, qva fide annonam curaverit, qvo animo necessaria subministraverit, qvalem commeantibus securitatem praestiterit, non tam meis, qvam eiusdem Abbatis, fide digni et cum*

*F 2* *Hiero-*

* Stylo huius aevi convenienter: qvo pacto Arnold. Lub. usus est Chron. Slav. l.3.c.17.et l.6. c.19. similiter dicebant, *legatum dirigere*: Helmold. Chr.lib.1. c.9.

*Hierosolymis esset, manuscriptum eius historiae codicem nacti testis verbis commemorabo. Is vero inde in commentarios suos retulit,* qvod fictis omnino beneficiis, Alexius imperator tantos sibimet heroas amicaverit; postea vero sacramentis tortis, ne regno suo vim inferrent, constrinxerit, qvamvis constet, qvod dum moram ibidem primae qvoqve cohortes, alias adventantes expectando facerent, dolis eos interfecissent, nisi Godefridi ducis solertia super gregem Domini cautius vigilasset. *Ex qvibus cognoscitur, neqve rerum consensum atqve concordiam inter Graecos Latinosve tunc fuisse, et contrariis moribus odia suspicionesqve mutuas auxisse, ut non posset fieri aliter, qvin tam dura ancipitiaqve initia fatalis qvaedam rerum conversio seqveretur. Nam cum utriqve in barbaros conspirare potuissent, insidiis se invicem petebant, Graeci fidei cautionisqve datae obliviscebantur, Latini vero et facultatem et occasionem rei melius gerendae amittebant, invisi ob potentiam, qvam prospero successu vicinis formidabilem constabilirent. Erantqve haec eiusmodi, qvae indicarent, bellum istud nulla iusta causa susceptum, et praecipiti consilio in barbaros, veros rerum suarum dominos, praetextu liberandi oppressos servitute Christianos, conversum infeliciter terminatum iri.* * *Qvippe vetera recentiaqve Asiae imperia semper cum dominatu coniuncta, nihilo mitiora a Saracenis horumqve successoribus Turcis expectari potuerunt. Neqve calamitates Christianorum ad belli titulum Christianis proficiunt, qvippe qvorum gloria vel ipsius Dei praecepto, omnibus aetatibus seculisqve in patientia et obseqvio sita fuit, iis praesertim imperiis, qvae pleno imperantium iure, ac regia heriliqve potestate constant. Qvare non erat, cur propter eos parendi obligatione firmos arma caperentur, siqvidem illi Deum colere contenti, in aliis rebus laeti inserviebant, qvippe spem suam non in rebus praesen-*

* Itaqve speciem iuris solum habent 1. *zelus devotionis*, Arnold. Lub. Chr. l. 5. cap. 1. Nam zelus iste non fuit κατ᾽ ἐπίγνωσιν, et magis opinione, qvam veritate constitit. 2. restitutio sepulchri, qvod fuisset fidei Christianae visibile nutrimentum, apud Petrum de Vineis lib. 1. ep. 28. Etenim non in sepulchro externove ligno, sed in merito Christi, qvod non manu aspectuqve oculi, sed fide capitur, salus aeterna est sita. 3. Eo minus restitutio ligni sancti, per qvod sanctae Ecclesiae non iungimur, ad causam belli sacri pertinere potuit. Recte Chrysost. hom. 3. in Act. Apost. serm. 26. de Pentecoste. Multum Ecclesia Deo chara est, non muris circundata, sed fide circunscepta. 4. Non honor Dei, qvippe qvi per iniusta arma non debet amplificari. 5. Non obedientia Pontificis, cuius meminit Balduinus in epist. apud Arnold, lib. 6. cap. 20. Qvoniam eius consilia vel ex conscientia erronea proficiscebantur, vel affectibus serviebant, ita ut his Principes in officio contineret, Principum regiones exhauriret, ipse interim more suo in turbido pisceretur. Qvae cum intelligeret Friderici II. titulum regis Hieros. per connubium adepti potentiam ibi periculo suo firmatum iri, ut qvi ita gradum fraenandae Siciliae Italiaeqve adepturus esset, contra eum Templarios concitavit, ac propositum ipsius vanitatis obtentu impedivit. Et tamen ab Arnoldo Lub. *zelator iustitiae* est dictus.

*sentibus, neqve in fortunae incrementis reponentes, ut sensit pie et docuit recte* Iustinus Martyr in Apologia ad Antoninum. *Eqvidem neqve mandato divino, neqve ratione, neqve iure humano Christianis regibus potestas competit ideo in barbaros vindicandi, qvia perseverò ac saepe in saevitiam inclinante imperio a Christianis obseqvium civile exigebant: qvandoqvidem Christiani sub pleno illorum regum iure erant, atqve adeo nec ipsi per se, nec per alios machinari, nedum exeqvi ultionem iuste poterant, qvod* Tertullianus in apologetico ad Scapulam *religiose graviterqve est complexus. Etsi enim ad Principum curam officiumqve pertinet, ut Ecclesias suae ditionis tutas florentesqve praestent, tamen illud ius non latius patet, qvam ipsum imperium Principis, cui Ecclesia subest. Atqve hoc indicare voluit* S. Isidorus de Praelatis, qvum agit de potestate Principum in Ecclesia, *ubi et plane hoc differit, et perspicue interpretatur. Eo minus in exemplum valent bella, qvae Deus ad evertendas qvoqve totas gentes Hebraeis in antiqvo foedere gerenda speciatim praecepit: qvippe qvae suscepta voluit, non ob religionem iure constituto promulgatam, sine qva etiam honestae respublicae apud barbaros floruerunt, sed propter scelera flagitiaqve foeda ac nefaria ab ipsis admissa, ratione qvorum poenas excidio luendas iusto singulariqve iudicio reposcebat. Adeo verum est, qvod scripsit* Herodotus in Euterpe. Τῶν μεγάλων ἀδικημάτων μεγάλαι εἰσὶ καὶ αἱ τιμωρίαι παρὰ τῶ Θεῶ. *Estqve hic locus elegans, et propter conversiones reipublicae insignis apud* Augustinum, *cuius religio qvemadmodum magni aestimanda est, sic prudentia, qvam ostendit saepe alias, nunc a nobis, et praecipue in hoc argumento non minoris existimari debet, qvam praeclaro opere de Civitate Dei subinde ac luculenter est testatus, ut una opera intelligi posset, qvae causae tot ruinarum inter gentes, qvaeve incrementorum apud Romanos fuerint, lib. 1. cap. 12. Qvapropter nullus vel pietatis, vel reconciliationis cum Deo, vel votorum praetextus adduci admittive hic potest. Non ignoro eqvidem, scriptores illorum temporum valde sibi indulgere in exagerranda istarum expeditionum sanctitate, adeo etiam, ut mutatae illarum fortunae causas putarent ducendas non ab iniustitia belli, qvod per se pium Deoqve gratum esset, sed ab erroribus corruptelisqve vitae, qvibus promeriti fuissent, ut punirentur, erecti nihilominus in spem potiundae illius terrae, si ex animo vereqve Deum colerent, et poenas merito suo persolvendas deprecarentur. Ad haec existimabant, militiam istam sacram permagnum momentum habere ad delendas aeterni Numinis*

*offensas, expiandasqve omnes sane omni tempore admissas noxas. Qvin imo tantam vim facultatemqve in illa inesse persvasi fuerant, ut crederent, eius utilitatem diviniori qvadam ratione ad eos qvoqve perventuram*, qvi impediti ad belli illius societatem se adiungere non potuissent. Sed utcunqve ea se habeant, plus vanitatis, qvam iuris continent, inania aevi pro rationibus venditant, ac votorum sponsiones temere factas ad religionis iustitiaeqve argumenta referunt. In qvo genere sive inconsiderate ac negligenter, sive superstitiose ac imprudenter pleriqve illius aetatis seculiqve scriptores sunt versati, qvorum vel unum nominasse mihi sufficiat* Arnoldum Lubecensem, Necdum, *inqvit,* liberata est terra repromissionis propter peccata nostra, *l. 3. Chr. cap. 37.* * *In eandem sententiam l. 5. cap. 1. scripsit, ut sacris militibus de successu desperantibus animos faceret, et praesidium causae suae in eo poneret, qvod pro honore Dei ac libertate Christianis recuperanda bellum istud subiretur, cuius impediti retardatiqve rationes Deus tandem misericordia permotus, meliori fortuna commutaturus esset. Qvae etsi speciem forte aliqvam figuramqve dicendi praeferunt, tamen nulla solida veraqve belli inferendi ratione continentur: propterea qvod honor Dei non ex opinione erroris, nedum ex sola destinatione boni finis, sed ex veritate rei iustitiaqve actuum, qvi fini conseqvendo serviunt, aestimari debet. Nam ut aliqvis iustus sit, iuste agendo asseqvitur, neqve aliqvid rectum esse potest, qvod simul non sit iustum, Arist. Eth. lib. 2. cap. 3. Cicer. off. 1. et 3. Itaqve praeclare* Nilus Episcopus *censuit, pios esse, non qvi aliorum misereri cupiant, sed qvi nemini (neqve ipsis barbaris) iniuriam faciant,* paraen. 5. *Solaturqve fortunam suam Nazianzenus,*** non qvia locum aliqvem thronumve splendore insignem teneat, sed qvia Christum animo complectatur, ut innuat, Christum esse, ubi ubi etiam pietate suscipiatur, nec in possessione externave gubernatione loci eius venerationem esse sitam: qvod eo magis moniturus dicturusve erat, si vel initia Saracenici dominatus contemplari potuisset. Neqve dictorum veritas ex eo convellitur, qvod a barbaris multa in Christianos iniuste admissa essent: qvandoqvidem horum et talium cognitio, non magis tunc pertinebat ad Christianos, qvam Christianorum imperium pertinebat ad Saracenos. Proinde* iustius erat, iniustos *Saracenos, horumqve nothos ac spurios successores*

*Tur-*

* Ex diplomatis licet intelligere, putasse sacros milites, illas expeditiones ad expiandas laesi Numinis noxas maxime esse efficaces. Rebantur qvippe eas valere *in remissionem peccatorum*, et *laborem eius itineris animae esse fructuosum*: ad qvod propositum conseqvendum Ecclesias, in qvibus pro se fierent deprecationes, liberalissime *dotabant*, exemplo Henrici Ducis Lotharingiae A. M C XCVII. alii ob vota, si incolumes redirent, novas *fundabant*, alii animum revertendi non habentes, possessiones in universum abalienabant, partim vendentes, partim Ecclesiae donantes. Ipsi Pontifices auctoritate, qvam praeferebant, Apostolica *remissionem peccatorum* pollicebantur. Arnold. Lub. lib 3, cap. 27.

** epist. lib. 3.

*Turcas* * iuſte ** invadere, qvam iuſtos *nomine meritoqve Chriſti milites noſtros* iniuſte, *id eſt, bello praeter iuſtitiam ſuſcepto*, perire. *Ceterum* Albericus Gentilis *arbitratur, haec Francorum aliorumqve Europaeae populorum bella probari, qvippe qvae vexatos a Turcis ſublevaſſent, et ad ulciſcendas Chriſti iniurias comparata fuiſſent*, lib. 1. de iure bell. cap. 9. *Probari, inqvit, opinione aliorum, non ſua, ſiqvidem qvaeſtio ſit de bello inferendo, cuius ius non poſſit dari obtentu religionis, qvippe qva animi copulentur cum Deo, atqve adeo illius ius hominibus proprie non ſit cum hominibus: unde ſeqvatur etiam, religionis conſcientiaeqve imperium excedere fines humanae poteſtatis, et longe diverſum forum ſortiri. Praeterea illae expeditiones non modo nulla iuſta ex cauſa ſuſceptae ſunt, ſed etiam depravatis moribus materiam dederunt, ut qvi ad eas ſe adiungerent, nec cupiditates continerent, et officii neceſſitudinisqve domeſticae obliviſcerentur, multiqve inter eos inconſulta temeritate cauſas mortis ſibi accerſerent; multi etiam profectionis ſuae rationes ignorarent, qvod ipſe* Arnoldus Lubecenſis, *belli iſtius alioqvin applauſor et praeco, diffiteri non potuit. Adeo ex bonis qvoqve initiis mala interdum exempla oriuntur, nec ſcio, qvale ornamentum commodumve ex ea militia maiores noſtri ceperint, niſi qvod his rebus factum eſt, ut pleraeqve familiae, non modo Teutonum, ſed etiam exterorum,* a *novis inſignibus gentilitiis diſtingverentur. Illud mihi certis patriae hiſtoriae documentis liqvet, Conradum magnum, Timonis filium,* a *a qvo hodierni duces electoresqve Saxoniae deſcendunt, A. MC XXXVI. ex bello ſacro reverſum, mortuo ſine heredibus VViprechto Groizſchenſi, auſpicio conceſſuqve Lotharii II. ius atqve poſſeſſionem beneficiariam Marchionatus Luſatiae accepiſſe, primumqve fuiſſe, qvi familiam potentiamqve VVetinenſium Comitum duobus Principatibus fundatam, magnis incrementis auxit exexitqve, qvod recte copioſeqve ex Chronicis Lauterbergenſi et Landsbergenſi tradit* Ioannes Pucheler *in chronico manuſcripto,* b *qvod nactus ſum, in qvo edendo operam aliqvando collocare liceat. Cumqve haec ſacra profectio multis in orbitatem verteret, Conrado M. fauſta fortunataqve fuit, cuius poſteri qvoqve Thuringiam acqviſiverunt, antiqvis Landgraviis, partim peregrinatione ſacra, ut Ludovico ſancto* c *accidit, partim bello civili, ut Henrico Raſponi contigit, conſumptis. Tum vero iter ſacrum Habsburgiis proſperum evenit, nominatim Rudolfo, poſt deſignato Romanorum imperatori, qvi ut Palaeſtinae rerum gnarus erat, ita prudens ſciensqve repetitam profectionem omittebat, qvod experiendo didi-*

* V. Iac. Struckhuſen Syntagm. hiſt. Saraceno Turc. p. 98. Ant. Geufraeus rer. Turc. l. 5. Refert ex Onuphrio Gentilis, Saracenos non prius dediſſe Turcis in ſe imperium, qvam ſacra ritusqve Mahumedicos amplecterentur, iur. bell. l. 1. c. 11. in utrisqve laudandum, et certe divinitus proviſum, qvod neminem vi armisqve adigant ad impiam ſectam.

** i. e. ex iuſta cauſa.

a Hinc multi inſignia eqvitum Ordinis Elephanti arceſſunt. Alii de origine dubitant, ut Pontanus deſcript. Dan. p. 769.

b A. M CCCC LXXXIIX. abſolutum eſt ab auctore.

c Huius ſocius fuit comes Gleichenſis, qvi ope puellae Saracenicae cuſtodia liberatus, promiſſum ei connubium redux perfecit, eamqve legitimae uxori, indulgente Pontifice, induxit. De hac digamia vid. Binhard. A. 1127. Ioannes Conrad Diterichius Giſſae qvondam doctor meus, de peregrinat. p. 100.

*diduxisset, exinde nullum emolumentum ad Germaniam pervenire, et militum ibi potius esse turbam, qvam ordinem, et luctari cum domesticis hostibus, antegvam externos barbarosqve hostes vidissent, et consumi dissidiis, perfideqve tractari a Graecis pariter et sociis, tamqve res in eum locum devenisse, ut in integrum restitui non possent. Qvare Germaniam turbis expedire contentus, a Palaestina aeqve ac ab Italia sibi timebat, superiorum haud immemor exemplorum. Verumenimvero in universum X. eiusmodi expeditiones commemorantur, qvanqvam alii cum Beurero in Synops. rer. Sarac. Turc. XII. numerare statutum habent. I. anno M XLVI. instinctore Petro Eremita, * cuius consilia fovebat Vrbanus II. Pontifex, non tam ut bene cuperet Graecis, qvorum odium ex caussa dominatus Ecclesiastici in animo premebat, qvam ut cum Latinis committeret, et utrisqve (inprimis Germanis et Gallis) per utrosqve noceret, non invito Henrico IV. invicti animi imperatore, non tam ob dominatum in Palaestina muniendum, qvam ad materiam seditionis passim tota Germania gliscentis exhauriendam, qvanqvam neqve hoc institutum consequi feliciter potuit. II. M C I.* a *suscepta, adhuc imperante Henrico IV. Vnde omittendus est Henricus V. Saliqvorum ultimus, qvamlibet ab Arnoldo Lubecensi excusatus, qvasi is* spiritualiter cruce signatus *fuisset, more superstitiosioris aevi, lib. 5. cap. 1. Chron. Slav. III. A. M C XLVI. rerum potiente Conrado III. Hohenstauffio.*b *IV. A. M C LXXXIIX. ductu auspicioqve Friderici Aenobarbi. V. M C XCV. ab Henrico VI. suscepta. VI. M CC IV. aevo Philippi Svevi. VII. A. M CC XVII. tempore Ottonis IV. IIX. A. M CC XXIIX. a Friderico II. peracta. IX. A. M CC XLV. a Ludovico IX. Galliae rege confecta, qvo tempore status Germaniae maxime turbidus erat. X. A. M CC LXIIX. qvi annus Conradino Hohenstauffiorum ultimo pariter, et bello sacro fatalis fuit.* **

* Helmold. Chr. lib. 1. c. 31. a Tunc a disciplina pietateqve inprimis est descitum, qvod sinistrum eius militiae omē fuit.

b Helm. lib. 1. c. 60. Qvae ab aliis II. expeditio, ab Auberto Miraeo et aliis III. nominatur.

*** *Appellatae etiam sunt expeditiones Crucis, sive cruciatae; hinc formulae crucem praedicare, cruce signari. Sic et contra Tataros, qvi ferreo et funesto Sec. XIII erupe- runt, crucis charactere se insignivierunt, Abb. Stad. an. 1241. Conf. Petr. de Vineis l. 1 ep. 29 p. 129. Thuanus hist. lib. 67.*

** VVilh. Tyrius, cuius historia belli sacri XXIII. libris comprehensa est, Albertus Aqvensis, cuius extat Chronicon Hierosolymitanum; Gvibertus Abbas, (vastum atqve insigne opus, Gesta Dei per Francos, inscriptum: Iacobus de Vitriaco: Chronicon Hierosol. a Reineccio editum: Conrad. Vrspergens. Matth. Paris. qvi A. 1259. vivere desiit. Paulus Aemilius, Marinus Sanutus, Petrus Bizarrus, et magno numero alii, *passagiorum,**** ut dicebantur, scriptores. Vniversa militia sacra Ducum et Principum Brabantiae, inter qvos Godefridus Bullionius praecipue eluxit, edita est summatim a Ioanne Molano Antverpiae. Vt de ceteris lubens taceam.

Monenda.

*Diplomata Munensia in notis ad oram exaratis promissa, eaqve titulum Palatini Saxoniae continentia, separatim in descriptione Muniae edenda. De Sexagenis in diplomate A canio memoratis, dicetur in auspiciis Electoratus Brandenburgici ad Zolleranos delati, ubi earum saepe fit mentio.*